



Continentur hoc volumine.

1. D. Job. Müllern Atheismus Devictus.
2. M. Jani Atheus refutatus et ad veram religionem conversus sub p̄sidio D. Nienāij
3. D. Kortholt de Religione naturali contra Naturalistas et Remonstrantes p̄ Lic. A. Franck.
4. D. I. Musaej questio; An ductu luminis nature et principiorum rationis homo ad salutem aeternam pertinere possit?
5. D. Petri Musaej Oratio contra Atheos cum iustitia Dei spugnare contendentes quod malis bona in hac vita contingant.
6. Bechmannij disp. de Deo quatenus ex lumine nature cognosci potest. R. Reimer.
7. Frölinojij disp. De Deo lumine rationis cognoscibili R. Lübbren.
8. M. Swiggenij disp. de Attributis Divinis an ea inter se et ab essentia differant et quomodo. R. Heringes.
9. M. Hundshagen de Unitate Dei R. Wendeling.
10. M. Müller de Summa Dei perfectione R. Dommex
11. M. B. Müller de quibusdam Distinctionibus Unitatis Divinae R. Schultesius.
12. M. Spruthenij de propagine anime rationalis R. Laubingon.

Sammelband

64
26

6.

5

I. N. D. N.

DISCURSUS PHILOSOPHICUS

DE

DEO,

quatenus ex lumine naturæ
cognosci potest,

Quem

ipso favente & annuente

IN

ILLUSTRI AD SALAM ACADEMIA

SUB PRÆSIDIO

M. FRIDEMANNIBECHMANNI

Prim. Philos. & Log. Prof. Publ.

Publico examini expo-

nit

PHILIPPUS FRIDERICUS REIMER,

Osnabrugâ-Westphalus,

AUTOR.

In Auditorio Philosophorum,

Ad d. Septembr.

Anno 1660.

ÆNÆ,

Typis JOHANNIS NISII.



DISCURSUS THEOLOGICUS

DE O

CHARACTERE EX IUSTITIA NATURA

Cognoscitur potest

ipso favore & amplexu

ILLUSTRISSIMAE CAESARIS ACADEMIAE

suae Praesidio

MERITO BENEVOLENTIAE

Philosophiae et Logicae Prof. P. R. R.

Philosophiae et Logicae

PHILIPPUS FRIEDERICUS REIMER,

Ordinarius Philosophiae


In Academia Philosophiae

Abd. September

Amstelredamum

Typis Johannis Nijssii





I. N. D. N. J. C.

Prologus.



*I*anunc homuncio, intra in cubiculum mentis
tuae & exclude omnia prater Deum, & clauso
ostio, quare Deum. Hæc B. Anselmi verba
mihi librum naturæ evolventi & supremum
Numen in eo quærenti aliquis nescio quis in-
sufurrare videtur; quibus & imbecillitatis
humani intellectus & difficultatis suscepti ne-
gotii commonefactus non immerito ejusdem Anselmi verbis
respondeo, gratiam & auxilium supremi illius Numinis implo-
rans & exclamans: *Quero vultum tuum, vultum tuum Domine
requiro. Ejanunc ergo tu Domine Deus meus, doce cor meum,
ubi & quomodo te quæras, ubi & quomodo te inveniatur. Ne videli-
cet & ego cum Simonide illo à quærente; Quid aut qualis sit
Deus? deliberandi diem postulare, numero dierum sapius
duplicato, tandem scire cupido hoc responsi dare cogar:
Quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Sicut
hoc responsum Hieronem Regem ab ipso tulisse refert Cicero
lib. 1. de Natura Deorum; sed potius divinâ ope & eruditorum
virorum operâ adjutus ea quæ de Deo per naturæ lumen co-
gnosci possunt, quantum fieri potest breviter, perspicue &
simplici stilo exponam. In nomine ipsius igitur sit*

§. I.



*A*ntequam autem ad rem ipsam progrediar, quædã præ-
mittenda esse videntur. Et primò quidem præmoneo,
quod consulto, quamvis contra morem aliàs rece-
ptum, operosam illam *ὀνοματολογίαν* vocabuli DEI
prætermittam, tum quia instituti nostri ratio hoc postulat, tum
quia passim & apud Theologos & apud Philosoph. illa occurrit.
Vid. inter alios B. noster Gerhardus in Exegesi LL. Theol. L. de Deo

A 2

statim

statim in princip. & B. Scheiblerus in Parte spec. Metaph. c. 3. Tit. 2. artic. 1. seqq. Deinde sicut nulla disciplina objectum suum necessario probat, sed, quod illud sit, & quid nomen significet, supponit; neque enim tractatio de aliqua re institui potest, nisi jam ante notum sit, rem illam esse, eamque hoc vel illo nomine significari e. g. Physica agit de corpore naturali, non autem probat dari corpus naturale, nec sollicita est, quid per nomen hoc, *Corpus naturale*, significetur; sed hæc tanquam nota sumit & statim naturam ejus distinctè explicare & affectiones per principia de illo demonstrare docet: Ita etiam doctrina de Deo quid nomen Dei significet, nempe Ens sive essentiam summam, eminentissimam, omni modo independentem, totius hujus universi autorem & custodem vel simile quid, (*hic enim est vulgaris & quasi primus conceptus, quem omnes de Deo formamus, audito nomine Dei inquit Suarez Disp. Metaph. 29. sect. 2. num. 5*) supponit; supponit etiam, quod tale Ens nomine isto significatum detur. Neque ullum tam immansuetum, tam ferum esse existimo (*ut trita Tulli verba lib. 1. de leg. huc accommodem.*) qui non, etiam si ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat: Et hoc ipsum consensus omnium populorum & propria cujusque hominis conscientia attestari videntur, ceu pluribus, si opus esset, ostendi posset. Denique & hoc præmonere volui, quod, sicut ex ipsâ dissertationis inscriptione & limine patet, ea tantum de Deo propositurus sim, quæ per notitiam naturalem de ipso cognosci possunt, quæ enim ex revelatione divinâ tantum de eo cognoscuntur ad S.S. Theologiam pertinent, neque in hanc Cathedram ducenda erunt. Cum nihilominus Scriptura S. etiam ea de Deo tradat, quæ naturaliter quodammodo nota sunt, à nemine id mihi vitio verti posse arbitror, si quandoque unum vel alterum testimonium ad veram sententiam magis confirmandam inde petam. Verum obloqui mihi quempiam audire videor, me hic tanquam certum quoque sumere, Deum & multa de Deo naturaliter seu per notitiam naturalem ab homine in hac vitâ cognosci posse: Cum tamen id adeò certum esse nondum appareat. Sed ut huic etiam satisfaciam, quædam hæc de re subjiciam.

§. 2. Cum

§. 2.

Cum itaque dicitur Deum naturaliter ab homine cognosci posse, sive dari in homine cognitionem & notitiam Dei naturalem, sciendum est I. Cognitionem Dei duplicem posse constitui; Una est, cum Deus non in se suâque essentiâ, sed per aliud quidpiam v. g. per effectus suos cognoscitur, quæ aliàs *abstractiva* dici solet. Altera, qua Deus non in alio aut per aliud, sed in se ipso suâque essentiâ clarè & distinctè, ut in se ipso est, cognoscitur; hæc dicitur *Intuitiva* propter claritatem & perfectionem suam. Sicut enim quod oculis corporis coram intuemur clarè & distinctè videmus: Ita quod hac cognitione cognoscimus clarè & distinctè ut in se ipso est, cognoscimus. II. Quando cognitio Dei naturalis dicitur, *naturale*, quantum ad præsens attinet, *bifariam*, itidem intelligi potest (1.) Ut naturale illud dicatur, quod vel naturam constituit, vel eam constitutam necessariò consequitur, vel saltem cum ipsâ naturâ originem suam accipit, ut ei â primo ortu statim insit. Hoc modo animalitas, risibilitas, peccatum originale homini naturalia sunt: (2.) ut naturale dicatur, quod per naturales vires intellectus citra specialem & supernaturalem gratiam atque illuminationem acquiri & haberi potest, quomodo latinæ, græcæ & aliarum linguarum cognitio homini naturalis dici potest.

§. 3.

Hisce præsuppositis dico I. *Cognitio Dei sive intuitiva sive abstractiva intelligatur non est homini naturalis priori modo*, quatenus scilicet naturale illud dicitur, quod naturam constituit vel constitutam necessariò sequitur, ita enim esset vel pars essentialis vel proprium hominis strictè sic dictum, quod falsum esse opidò liquet. Neq; quoad ultimum membrum, quatenus naturale dicitur, cujus cum ipsa naturâ idem est initium, sive quod homini statim â nativitate inest. *Hoc de intuitivâ cognitione facile probabitur à Theologis ita*: Cujus intellectus statim â nativitate lumine gloriæ non est instructus ei â nativitate non competit cognitio Dei intuitiva: Atqui hominis intellectus â nativitate statim lumine gloriæ non est instructus. E. Minor probatione non indiget, est enim (ut Theologi docent,

ex quibus liceat hoc de sumere) lumen gloriæ habitus spiritua-
lis illectui à Deo supernaturaliter infusus, quo ipse ad Deum
in suâ essentiâ & omnia quæ in ipso sunt formaliter videnda seu
clare cognoscenda ultra & supra naturales vires suas elevatur;
Tali habitu intellectum hominis à nativitate non esse instru-
ctum evidens est. Major itidem constat. Negatâ enim causa ne-
gatur etiam effectus quatenus talis i. e. non potest fieri effectus,
ut habet *Regula Philosoph. 3. Disp. IV. part. 1. B. Stibalii*. Jam au-
tem lumen gloriæ ad claram Dei visionem efficaciter produ-
cendam tanquam causa & principium unâ cum intellectu con-
currit, illo igitur homini denegato, visio Dei clara seu intuitiva
ejus cognitio ei etiam deneganda erit. *De abstractiva cogniti-
one idem probatur h. m.*: Cui non connascuntur species intelli-
gibiles rerum creatarum tanquam Dei effectuum, illi etiam
non connascitur cognitio Dei abstractiva. Atqui homini non
connascuntur species intelligibiles rerum creatarum tanquam
Dei effectuum. E. Major ex descriptione cognitionis abstra-
ctivæ patet, est enim cum in Dei cognitionem deducimur per
aliud quid sive per speciem alterius rei v. g. effectus ipsius. Mi-
nor probatur *tum ex trito illo Philosophi loco l. 3. de animâ c. 4. t. 15.*
ubi docet: Hominis intellectum esse instar tabulæ nudæ, cui
actu nihil sit inscriptum, quodlibet tamen inscribi possit; Si igitur
intellectus hominis est instar tabulæ nudæ, quomodo ei à
nativitate statim species intelligibiles rerum creatarum per
quas in cognitionem Dei tanquam causæ illarum rerum dedu-
catur, inesse possunt: *Tum* & ex ipso modo cognoscendi ali-
quid in hac vitâ. Nimirum, intellectus noster diligenti con-
templatione & speculatione rerum naturalium species illarum
acquirat ita tamen ut nihil cognoscatur ab eo, nisi prius cognitum
fuerit à sensu aliquo externo, qui quando ab objectis cogno-
scibilibus desumit species sensibiles, transmittit illas ad phan-
tasiam, ubi phantasmata dicuntur, cum quibus intellectus,
postquam effecit, ut ea quæ antea confuse tantum, nunc di-
stinctè repræsentent, ad novas easq; immateriales species pro-
ducendas concurrat, quæ species productæ ab intellectu agen-
te dicuntur intelligibiles & recipiuntur in intellectu patiente,
ut per

ut per eas intellectione producat sive intelligat. Sed hæc apud
Physicos accuratius exposita vide. Ex quibus liquidum est
species intelligibiles rerum creatarum ab hominibus acquiri
demum post nativitatem, & quidem potissimum cum usus ra-
tionis plenius sese exerere incipit, non verò connasci iis: Quia
igitur intellectus sine iis res cognoscere nequit sequitur cog-
nitionem rerum creatarum à nativitate hominis ipsi non com-
petere, adeoque nec cognitionem Dei abstractivam, utpote
quæ ex illa originem ducit, quod probandum erat.

§. 4.

Dico II. *Cognitio Dei intuitiva non est homini naturalis licet
in Naturale posteriori modo sumatur* pro eo quod per naturales
vires citra supernaturalem illuminationem & specialem gra-
tiam haberi potest. Ratio hujus assertionis ex dictis manifesta
est. Nam 1. omne quod ab intellectu per vires naturales ci-
tra gratiam specialem intuitivè cognoscitur s. cognosci potest,
id tale esse oportet, ut vel per se, vel ratione alterius quod ipsi
formaliter inest sub sensum cadat. Nihil enim est in intellectu
quod non prius fuerit in sensu. Atqui Deus non est tale quid
quod vel per se l. ratione alterius quod ipsi formaliter inest
sub sensum cadat. E. Propositio ex dictis clara est. Subsumtio
negarinequit. Stat E. Conclusio. 2. Si lumen gloriæ non po-
test acquiri per naturales vires citra supernaturalem & specia-
lem gratiam, sequitur quod nec cognitio Dei intuitiva possit
acquiri per naturales vires citra supernaturalem & specialem
gratiam. Antecedens est verum. E. Consequentia probatur.
Quia cognitio intuitiva sine lumine gloriæ à solo intellectu
produci non potest, ut Theologi docent. Anteced. probatur
quia lumen gloriæ est habitus spiritualis, qui supernaturaliter
ex mera gratia à Deo intellectui infunditur, quod in altera de-
mum vitâ fit, in hac igitur lacrymarum valle per naturales vi-
res illud acquiri non potest.

§. 5.

Dico III. *Cognitio Dei abstractiva est homini naturalis, si
hæc vox posteriori modo sumatur.* Hujus assertionis sensus est hic:
Homo habet aliquam vim aut facultatem lumenque conge-
nitum.

nitum, quo intellectus ejus ex diligenti creaturarum contem-
 platione, nullâ supernaturali & speciali gratiâ ac revelatione
 adjutus, in aliqualem Dei notitiam pervenire possit, sive actu in
 eam perveniat sive non. Dixi (1.) *Quo intellectus in aliqualem Dei
 notitiam pervenire possit.* Siquidem assertio non est intelligen-
 da de perfectâ Dei cognitione quantum ea in hac vita nobis
 cōtingere potest, majorē enim homini aliunde provenire pos-
 se nō negamus sed de aliqua & inchoatâ notitiâ, quæ illius vix
 umbram contineat, & via tantum sit ad istam. Et hoc respectu
 à B. Chemnii part. 1. L. L. Theol. L. de Deo cap. 1. languida, im-
 perfecta imò nulla vocatur, licet in se spectata nobilis sit scientia
 & optimum Dei donum, cujus non unus est usus sicut ibid. vi-
 deri potest. (2.) addidi, quo intellectus in aliqualem Dei no-
 titiam pervenire *possit sive actu perveniat sive non.* A negatione
 enim actus secundi ad negationem actus primi non semper
 V. C. Licet igitur vel maximè ostendi posset hunc l. illum ho-
 minem, hanc l. illam gentem non agnovisse Deum, exinde ta-
 men non sequitur E. non fuit in illis facultas quædam & lu-
 men naturæ cujus beneficio intellectus in aliqualem veri Dei
 cognitionem pervenire potuerit. Nam quod actu non per-
 venerint in eam obstitit mali Genii seductio, pertinax volun-
 tatis malitia, atque affectata ignorantia, quæ causæ fuerunt,
*ut veritatem Dei ad quam pervenire potuissent in injustitiâ de-
 tinuerint, imò in falsitatem transmutarint* ut cum Apostolo lo-
 quar Rom. I. 18. 15.

§. 6.

Hanc assertionem ita explicatam tum scriptura tum ex-
 perientia confirmat. Quid enim aliud dicit magnus ille gen-
 tium Doctor Act. 14. 16. 17. cap. 17. 13. seqq. Ubi provocat quasi
 ad lumen illud naturæ, cujus ductu Atheniensium majores ve-
 ro Deo, quem ipse nunc annunciet, aram erexerint, è cujus in-
 stinctu etiam quidam ex ethnicis poëtis homines Dei progeni-
 em esse dixerit v. 28. conf. Rom. c. 1. v. 19. seqq. Ipsa loca, qui
 volet inspiciat & quam solidè nostra assertio in istis fundetur
 videbit; Accuratus ea explicare Theologorum est, quibus
 nos merito hoc relinquimus. Deinde compertum & explora-
 tum

tum habemus, quod ethnici scriptores multa eaque verissima de Deo tradant e. g. quod sit unus, simplex, incurruptibilis, vivens, æternus, omnipotens, omniscius, justus &c. loca apud Autores passim sunt obvia, quapropter ea hic adferre operæ pretium non duco. Hæc ipsa autem cognoverunt vel ex speciali revelatione divinâ, vel ex traditione majorû vel ex lumine naturæ: Quod ex revelatione divinâ ea cognoverint, firmiter probari non potest; præsertim quia ea in Israëlitica Ecclesia tunc temporis locum tantum habebat. Et licet concederem aliquos quædam de Deo è verbo ipsius hausisse, nondum tamen concedo, quod omnes omnia, quæ cognoverunt de Deo, ex eo didicerint, unde hoc probabitur? Huc accedit quod verbum Dei flocci fecerint, nec propter ejus auctoritatem, utpote quam non agnoscebant, ea quæ de Deo cognoverunt, vera esse crediderint, nisi rationibus ex lumine naturæ petitis prius convicti fuissent, ubi enim hæ defuerunt sola scripturæ autoritas nihil quicquid apud eos valuit. Porro quod ex majorum vel Patriarcharum traditione ea noverint, dici vix potest, hæc enim tot seculorum fœdissimâ Idololatriâ pridem oppressa fuisse videtur: *Hinc nihil aliud Socrati tantam invidiam apud populares suos conflat, ut cicutam bibere cogeretur, quam quod multitudinem & absurditatem illam Deorum gentilium videret & unum Numen statueret.* Verba sunt B. Horn. *Disp. de Deo. sect. 1. §. 4.* Remanet E. quod ea præprimis naturalis luminis ductu cognoverint. Hoc denique inde manifestum fit, quod adhuc hodie sepositâ revelatione divinâ Philosophi Christiani rationes è libro naturæ petitas adferre possunt, quibus plurima de Deo demonstrant, ut ex seqq. patebit.

§. 7.

Clarum nunc esse videtur, quod Deus aliquo modo in hac vitâ ab intellectu humano per naturales vires cognosci possit, videndum itaque est porro, quot modis intellectus noster in aliqualem Dei notitiam penetrare possit. Annotarunt verò Scriptores 3. præcipuè modos. I. Cum ab effectu progreditur ad causam efficientem, & quia in causis non datur progressus in infinitum (quod tanquam certum præsupponitur.)

B

ascen-



ascendit tandem ad causam aliquam efficientem primam, cui reliquæ omnes essentialiter subordinatæ sint, adeoque ab eâ ex naturâ suâ dependeant, ipsa autem independens sit, quæ nulla est alia quam ipse Deus, qui ita ex effectibus suis cognoscitur & tribuitur ei hoc prædicatum quod sit causa prima. Et cum inter effectus illos intellectus quosdam deprehendat ex nihilo productos esse & produci tantum posse, quosdam verò ex principiis suis constare, colligit inde quod causa illa prima habeat potentiam ex nihilo & ex aliquibus aliquid producendi & propterea tribuit ei hæc prædicata; quod nimirum sit Creator, parens s. genitor. Porro cum videt effectus illos non tantum, quæ tales h. e. in fieri à prima causa dependere, sed ei etiâ essentialiter subordinatos esse, ita ut sine illiº concursu existere & operari non possint, hinc causam illam primam s. Deum ut Conservatorem creaturarum suarum apprehendit. Hoc ipsum *Christianus ille Tullius lib. 1. instit. divin. 6. 2.* non minus scitis quam veris verbis significare voluit: *Nemo, inquit, est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in cælum tollens, tamen nesciat cuius Dei providentiâ regatur hoc omne quod cernitur; aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, ordine, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione, nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat consilio à majori sit instructum.* II. Quia omnis perfectio, quæ est in effectu præexistit in causâ l. formaliter l. virtualiter s. eminenter i. e. ita ut l. ratio formalis ejus & conceptus quidditativus l. saltem nobilior quid cum vi effectiva illius perfectionis quæ est in effectu in causa inveniatur juxta *B. Sthal. Diss. V. Reg. II. Part. 1. Reg. Philosophic.* Ideò ulterius progreditur intellectus noster & eas quas in creaturis deprehendit perfectiones, Deo etiam tribuit, sed longè eminentiori & nobiliori modo, & ita ratiocinatur: Quæcunque perfectiones sunt in creaturis illæ etiam sunt in Deo l. formaliter l. eminenter modo tamen nobiliori: Atqui esse Ens, substantiam, personam, spiritum, viventem, intelligentem, volentem potentem, bonum, justum, misericordem, corporeum &c. s. perfectiones in creaturis E. Major fundatur in adducto axioma. Minorem

Minorem nemo negabit. Stat E. conclusio. Quæ tamen cum disjunctione inferenda est h. m. E. Perfectiones quæ in creaturis inveniuntur sunt etiam in Deo I. *formaliter* I. *eminenter*, siquidem non omnes creaturarum perfectiones sunt in Deo formaliter. Quod ut intelligatur notandum est Perfectiones quæ in creaturis observantur esse in duplici differentiâ: *Quædam* sunt *simpliciter tales*, quæ in suo conceptu formali important perfectionem cum nulla imperfectione, ut priora illa, esse Ens, substantiam spiritum &c. *Quædam* sunt perfectiones *secundam quid tantum*, quæ sc. in formali suo conceptu s. in definitione suâ important perfectiones cum admixtis tamen imperfectionibus, qualis perfectio est postrema illa nempe corporeum esse, hæc in definitione sua importat imperfectionem quand. v. g. compositionem ex materia & forma, dependentiam &c. Ex his inferendum nunc est: Prioris generis perfectiones esse in Deo formaliter; posterioris autem eminenter tantum, quatenus in Deo est virtus & potentia qua producere illas potest. Sic corpus aliquod non est in Deo formaliter propter imperfectionem, quam importat, quæ Deo adscribi nec debet nec potest; est tamen in ipso eminenter, quia in Deo est nobilior quidpiam nempe virtus ac potentia, quæ illud producere potest. III. Quoniam igitur intellectus agnoscit in Deo esse omnem perfectionem sine ullâ imperfectione, ideo omnes imperfectiones, quas in creaturis deprehendit de Deo negat, & ab eo removet e. g. cum in creaturis tanquam imperfectiones agnoscat divisionem, compositionem, finitam durationem, mensurabilitatem per spatia, mutabilitatem, &c. removet hæc omnia de Deo & concipit ipsum ut unum, simplicem, æternum, infinitum, immensum, immutabilem, impeccabilem, immortalem &c. Hi sunt tres modi quibus Deus naturaliter ab intellectu nostro cognosci potest, quorum primus communiter appellari solet *Via causalitatis*, secundus *Via eminentiæ*, tertius *Via negationis*.

§. 8.

Ex hisce tribus modis, ut quis videt, triplicia Dei attributa h. e. prædicata quæ de Deo verè affirmantur & simplicissimi-

nam ejus essentiam inadæquatè nobis repræsentant, prode-
unt, quæ sc. per eos cognoscuntur, ita ut hæc per hunc, illa per
illum, ista per istum modum nobis innotescant: (licet non
pauca ex iis duplici modo cognosci possunt, ut in progressu
forte videbimus.) Quæ enim primo modo cognoscuntur, di-
cuntur *prædicata Dei positiva relativa*, quia nullam negatio-
nem involvunt & respectum sive habitudinem quandam ad
creaturas tanquam ad effectus Dei important, qualia sunt cau-
sa prima, Creator, Genitor, conservator &c. De his breviter
observandum est h. l. quod sicut alia relata dupliciter spectari
possint (1.) *Ratione intrinseci*, quod est fundamentum relatio-
nis in Deo cui competunt (2.) *Ratione extrinseci* nempe ter-
mini qui extra Deum est. e. g. Creator potest spectari (1.) ra-
tione potentia creandi, quæ est in ipso Deo & est fundamen-
tum relationis qua Deus ad creaturas refertur (2.) ratione
termini s. creaturæ, quæ extra Deum est *Priori m.* sunt attri-
buta Dei eique ab æterno competunt, nullamque mutationem
in Deo involvunt. *Posteriori m.* spectata non videntur Deo
ab æterno competere, cum creaturæ ab æterno non extiterint.
Quæ prædicata Dei secundo m. cognoscuntur vocantur *posi-
tiva absoluta*, quia sc. nullam negationem nullumque respec-
tum ad creaturas connotant, ut Ens, substantia Spiritus &c.
Quæ denique tertio m. cognoscuntur, sunt *prædicata negativa*,
quæ sc. nominibus negativis exprimuntur vel in ratione sua
formali negationem involvunt, qualia sunt infinitus, immen-
sus, incorruptibilis, unus, simplex, de quò tamen alii dubi-
tant, &c. Notanter dico: *aut in sua ratione formali negationem
involvunt.* Licet enim quædam vi vocis & compositionis ne-
gationem non dicant sic ut tria priora & similia, ratio tamen
formalis s. res ipsa per ea significata in negatione consistit.
Unum v. c. formaliter dicit negationem divisionis vel multitu-
dinis, simplex ut quidam volunt negationem compositionis,
licet vi vocis aut compositionis nullam negationem invol-
vant. Hæc negativa prædicata ut ex præced. §. constat, non
negant de Deo nec remouent ab eo perfectionem aliquam, sed
potius imperfectionem, adeoque rem ipsam si spectes perfe-
ctionis

tionis aliquid ponunt magisque positiva sunt quam negativa. Ita juxta quosdā æternitas negat imperfectionem illam, posse habere principium & finem, adeoque simul ponit perpetuam durationem: idem de cæteris dicendum. De singulis his & similibus Dei attributis s. prædicatis in seqq. breviter & seorsim agendum erit.

§. 9.

Antequam autem ad specialem illorum enarrationem pergam, quædam adhuc in genere de iis præmittenda sunt. Et Primò quidem de iis prædicatis cum primis positivis, quæ & de creaturis & de Deo dicuntur, *queritur* ab Autoribus, *An ea, quando de his prædicantur, idem planè an diversum significent?* s. quod eodem ferè redit: *An univocè vel equivocè vel analogicè vel alio modo; item num propriè an improprie de iis enunciatur?* Antequam respondeam præmoneo I. Terminos *univocè* & *analogicè* strictè & propriè hic capi debere, prout aliquid *univocè* prædicari dicitur, quando nomen & res s. essentia per nomen significata iis de quibus prædicatur æqualiter & æque primò competit. *Analogicè* autem illud prædicatur, cum nomen tantum non verò res significata per nomen propter analogiam s. proportionem pluribus tribuitur. II. Repetendum est ex §. 7. Quædam prædicata significare perfectiones simpliciter tales, quædam autem perfectiones secundum quid tantum. III. Notandum, quod illa prædicata quæ perfectiones simpliciter tales significare dicuntur & tam creaturis quàm Deo tribuuntur, 2. modis considerari possint (1.) *In particulari* & respectu creaturarum tantum, quatenus in illis primùm observata fuerunt, sed ita non sunt perfectiones simpliciter, quæ scil. cum imperfectione nullâ conjunctæ sint (2.) *In communi* & juxta præcisam suam rationem, sub qua & Deo & creaturis communia sunt, & h. m. sunt perfectiones simpliciter. His præmissis dicendum est I. *Prædicata, quæ perfectiones secundum quid tantum significant, in quarum sc. definitionibus imperfectio quædam involvitur quando Deo tribuuntur, enunciatur de eo improprie, equivocè, analogicè & planè diversum quid significant ab eo quod in definitionibus eorum ponitur s. in ratione*

tionem formali eorum involvitur, e. g. quando Deo tribuitur
brachium, fit illud propter analogiam & proportionem quan-
dam, sicut enim se habet brachium hominis ad effectus suos:
Ita se habet potentia l. ipsa essentia Dei ad suos effectus. Ratio
huius assertionis est quia hæc prædicata in sua ratione formali
s. definitione præter perfectionem magnam involvunt im-
perfectionem. Sic brachium propriè habere præter perfe-
ctionem aliquam involvit etiam compositionem ex partibus
integrantibus quæ est imperfectio quædam, adeoque hoc
prædicatum propriè & univocè de Deo non prædicatur. Idem
de cæteris iudicium esto. II. *Prædicata, quæ perfectiones sim-
pliciter aliàs significare dicuntur, in particulari accepta, quatenus
scil. in creaturis inveniuntur & quatenus in iis sese habent, non
possunt Deo tribui nisi æquivocè & impropriè, præsertim illa quæ
accidentalem aliquam creaturarum perfectionem significant,
e. g. sapientia, bonitas quatenus in creaturis observantur s.
accidentia & habitus naturæ superadditi, adeoque involvunt
imperfectionem, si igitur hæc prædicata eo modo accepta Deo
tribuere velis, non potest id fieri nisi æquivocè impropriè &
analogicè h. m. sicut se habet in creaturâ v. g. homine sapientiæ
habitus ad objectum suum: Ita se habet id quod in Deo sapi-
entia dicitur nempe ipsa Dei essentia ad objectum scibile. Ra-
tio assertionis jam manifesta est, h. m. enim spectata prædicata
illa non s. perfectiones simpliciter sed secundum quid tantum.
III. *Prædicata quæ perfectiones simpliciter tales significare dicun-
tur in communi conceptu & juxta præcisam rationem sub qua sc.
& Deo & creaturis communia s. prædicantur de iis (1.) Non æqui-
vocè aut analogicè nec (2.) Univocè, strictè & propriè acceptis vo-
cibus. Sed (3.) ut communia ab uno ad unum h. e. ita ut iis inæ-
qualiter conveniat res per prædicatum significata, uni nempe
Deo primariò, reliquis, creaturis sc. secundariò. Dicitur
a. notanter, in communi conceptu & juxta præcisam rationem
accepta. Et h. m. omnino accipi debent. Quod enim commu-
ne quid est & non solum ad creaturas sed reverà etiam ad Deum
pertinet, de illo non est iudicandum tantum ex eo quod in creaturis
est, & in illis taliter l. taliter se habet, cum conditiones istæ parti-
culares**

culares sint, sed sejungenda & prescindenda est communis aliqua
notio, in qua dicat unam rationem formalem juxta quam & Deo
& Creaturis conveniat, & juxta quam universalis putatur proposi-
tio, quæ utrinque locum habeat. Sicut benè docuit Excell. Dn.
zeisoldus P. P. Honorarius Præceptor & Hospes meus pluri-
mùm observandus in Colleg. quodam Metaphys. sect. V. th. 3.
De prædicatis autem hoc modo acceptis dicitur. *β. Quod non
prædicentur de Deo & creaturis improprie, æquivoce aut analogice
nec univoce, strictè loquendo.* Ratio est, quia quæ æquivoce &
analogicè prædicantur, quoad nomē tantùm propter similitudi-
nem & proportionem quandam, non quoad rem significatam
iis de quibus dicuntur conveniunt: Quæ univoce prædicantur
tum quoad nomen tum quoad rem per illud nomen significatā
& quidem æqualiter f. æquè primò iis de quibus dicuntur, con-
veniunt. At verò prædicata hæc de quib. agimus neutro modo
de Deo & creaturis prædicantur E. nō prædicantur æquivoce,
analogicè aut univoce. Major evidens est. Min. inductione pro-
bari potest e. g. scientia & Deo & creaturis tribuitur non tan-
tùm quoad nomē sed etiam quoad rem significatam, significa-
tur autem attributum aliquod per quod res cui tribuitur in
objectum scibile fertur non attendendo an attributum illud
ā subjecto cui competit realiter distinguatur nec ne; Hæc
autem res significata Deo & creaturis non competit æqualiter
f. æquè primò, sed Deo competit primario & longe excellen-
tiori modo, secundario & per participationem creaturis con-
venit; unde sequitur quod nec æquivoce aut analogicè nec
univoce de Deo & creaturis prædicetur. Idem dicendum de
reliquis. Restat igitur *γ. Quod prædicata illa de Deo & creatu-
ris enuncientur ut communia ab uno ad unum.* Quæcunque enim
ita prædicantur de Deo & creaturis ut res significata iis conve-
niat inæqualiter, Deo quidem primariò & eminentissimo mo-
do creaturis secundariò & per participationem ac dependen-
tiam ab illo illa prædicantur ut communia *ωεγς εν*. Atqui præ-
dicata de quibus sermo est, prædicantur h. m. de Deo & crea-
turis E. Major fundatur in definitione eorum quæ dicuntur
communia *ωεγς εν*. Minor probatur, Quia Deus non tantùm
est

est Ens, essentia sapiens, bonus, Pater &c. sed etiam per se & primò est talis, omnisq; essentia, entitatis, sapientia, bonitatis & paternitatis fons est, ita ut si ipse non esset, neque res per hæc prædicata significata neque alia res quibus præter ipsum tribui possent, existerent: qualiter se res non habet cum prædicatis quæ æqualiter de aliquibus prædicantur; licet enim nullus superesset homo, adhuc tamen posset dari animal, posset etiam esse leo, canis & aliud brutum. Cum igitur Deus omnium creaturarum omniumque perfectionum, quæ in iis inveniuntur causa sit, universa perfectio primò necessariò & modo infinites excellentiori merito ipsi tribuitur, deinde verò & secundario cæteris rebus quæ ab ipso dependent: Et hoc ipsum vult Scriptura S. quando Deum solum bonum, solum sapientem, solum immortalem vocat.

§. 10.

Deinde, ut propius ad rem accedam, cum prædicata seu attributa Dei multa & varia sint, dubitare quis posset. *An ea in DEO distinctionem aliquam faciant?* ut etiam huic quæstioni satisfaciam, sciendum est I. Prædicata seu attributa Dei posse considerari dupliciter (1.) *Absolute & in se sine respectu ad aliud* quatenus ex parte Dei tantum sese habet. (2.) *Respectu diversorum connotatorum & objectorum.* II. Notandum est quod duplex sit distinctionis genus (a) *Distinctio realis*, quando aliqua citra mentis operationem differunt, quo referri etiam potest & debet formalis ex natura rei & modalis (b) *Distinctio rationis*, quæ tantum fit per plures & distinctos actus intellectus nostri quibus inadæquatè & in ordine ad diversa connotata rem distinctè concipit, cum tamen in ipsa nihil distinctionis sit. His ita stantibus *Resp. I. Prædicata s. attributa Dei in se & absolute sine respectu ad connotata spectata, nullam omnino nec realem nec rationis distinctionem in Deo faciunt nec ullam. s. ab essentia s. à se invicem distinguuntur.* Quod non faciant realem distinctionem probo ita: Si attributa Dei tum ab essentia tum à se invicem realiter differunt aut per realem compositionem cum essentia & inter se sunt unita aut plane separata. Consequentia autem hæc affirmare prohibet summa Dei simplicitas & per-

perfectio, illa compositionem hæc separationem in Deo non
admittit E. nec Antecedens affirmari potest. Consequentia
firma est, separabilitas enim quæ datur in rebus per realem
compositionem inter se unitis & actualis separatio sunt infalli-
bilia signa realis distinctionis, & ubi hæc datur, necessario illæ
præsupponuntur. Quod autem simplicitas Dei non admittat
compositionem realem infra probabitur. Deinde si attributa
Dei separata essent ab essentia divinâ, sequeretur, in Deo for-
maliter non esse omnes perfectiones simpliciter tales, seque-
retur etiam Deum extrinsecè ab iis denominari, quæ quàm ab-
surda sint, vel cæcus videt. Cum igitur omnia attributa cum
essentiâ Dei unum & idem sint, ita ut ab ea nec separata sint nec
separari possint, ultrò sequitur, quod nec à se invicem separa-
ta sint aut separari possint. Porro quod prædicata illa abso-
lutè spectata nec ab essentiâ nec à se invicem ratione distin-
guantur, nullo negotio ostenditur hoc modo: Quæcunq; ra-
tione distinguuntur, illa concipiuntur ab intellectu nostro in-
adæquatè in ordine ad diversa connotata, quasi revera, sicut
hæc connotata, distincta essent cum tamen distincta non sint.
Atqui attributa absolutè & in se spectata non concipiuntur ita.
E. Major ex descriptione distinctionis clara est. Minor ex termi-
nis nota. Sicut igitur JESUS, CHRISTUS, *Ἰεσὺς Χριστὸς* re &
ratione unum quid sunt: Ita etiam attributa h. m. considerata
sunt tantum plura nomina unius & simplicissimæ essentiæ divi-
næ, adeoque re & ratione unum quid sunt. II. *Prædicata illa re-
spectu connotatorum considerata important distinctionem tantum
rationis.* Nimirum Deus est simplicissimus omnisque tum com-
positionis tum distinctionis realis expers & nihilominus o-
mnes perfectiones sine ullâ imperfectione ei conveniunt; in-
tellectus autem noster propter imperfectionem & imbecillita-
tem hanc simplicissimam & perfectissimam Dei essentiam uno
conceptu comprehendere non potest, ideo plures format
conceptus inadæquatos, qui totam essentiam divinam non ex-
hauriunt, & pro diversitate objectorum ac connotatorum plu-
ra prædicata Deo tribuit; Sicut autem connotata illa revera
distincta sunt: Ita etiam prædicata hæc respectu illorum ita

C

con-



concipit, quasi revera distincta essent, cum tamen revera unum & idem sint, & in se atque absolute spectata nullam distinctionem importent, ut modo probatum fuit. e. g. intellectus & voluntas divina non distinguuntur realiter quatenus ex parte Dei sese habent, quia st. una & simplicissima ejus essentia, quatenus autem intellectus noster essentiam hanc considerat respectu objecti intelligibilis, tribuit ei intellectum, & concipit hunc quasi distinctum ab essentia: Quatenus vero eandem essentiam considerat ratione objecti appetibilis tribuit ei voluntatem, eamque distinctam quasi tum ab intellectu tum ab essentia concipit. Atque ita hæc & reliqua prædicata Dei tum ab essentia tum à se invicem per operationem intellectus nostri tantum distinguuntur, cum in re ipsa sint unum idemque & cum illa & inter se, una, inquam, eademque essentia divina.

§. II.

Ex his etiam breviter Responderi potest ad hanc questionem: *An prædicata s. attributa Dei de Deo, de essentia divina & de se invicem in abstracto rectè affirmantur?* Nimirum, si in se & absolute considerentur prædicata illa, rectè de Deo, de essentia divina & de se invicem affirmantur. Sicut verè dico; **JESUS est CHRISTUS**: Ita rectè etiam dico: **Deus est ipsa sapientia, essentia divina est bonitas, sapientia est bonitas** sensus enim harum enunciationum est identicus adeoque verus, hic nempe: Eadem numero res, quæ dicitur Deus, est etiam illa, quæ à nobis concipitur ut sapientia: essentia divina est eadem numero res quæ à nobis concipitur ut bonitas; Res quæ à nobis concipitur ut sapientia est eadem res quæ à nobis concipitur ut bonitas. Si autem prædicata illa ratione connotatorum diversorum spectentur, de Deo, de essentia divina & de se invicem rectè negari videntur e. g. essentia divina non est sapientia, intellectus divinus non est voluntas divina. Prioris sensus est: Essentia divina absolute scilicet spectata non concipitur à nobis ut sapientia. Posterioris: Quo respectu concipitur aliquid à nobis ut intellectus divinus eo respectu non est voluntas divina, sed hoc non competit attributis in se, ut dictum, sed ratione connotatorum; quia hæc de essentia divina & unum

& unum de altero negatur, ideo prædicata etiam respectu horum considerata de essentia & de se invicem negari possunt.

§. 12.

Cum denique, ut ex §. 10. constat, prædicata illa Dei per conceptus intellectus nostri tantum distinguantur, & verò in conceptibus istis ordo quidam deprehendatur, ut nimirum intellectus hoc prædicatum prius concipiat quam illud (quavis in re ipsa nulla prioritas nulla posterioritas detur) ideo solliciti sunt Autores, quis nam inter illos sit primus conceptus, qui essentia nomine appellari solet? Item. An primus ille conceptus propriè dictam definitionem Dei constituere possit? Quid de his sentiendum sit, videri potest apud *B. Slevogtium* *disp. de Primò conceptu Dei*. Ipsa autem prædicata & attributa Dei conclusionibus quibusdam proponam: Esto igitur.

§. 13.

Conclusio I. *DEUS est Ens*. Ratio 1. Quicumque est existens is est Ens. Atqui Deus est existens. Er. Major clara est ex natura Entis, quæ est, ut actu existat, & sub hac ratione Deo & creaturis communis est, nullamque imperfectionem involvit. Minor: Quicumque est extra nihil, is est existens. Atqui Deus est extra nihil. Er. Major iterum ex formali ratione existentia confirmatur, quæ in eo consistit, ut sit actus quo res est extra, nihil. Minorem nemo sanus negabit; Et sanè, si Deus non esse extra nihil, esset Non-Ens, atque hæc mundi machina à Non-ente esset producta, omniaque quæ de Deo dicuntur de nihilo dicerentur, quæ cum absurdorum absurdissima sint, necesse est Deum esse existens quid, adeoque etiam Ens. Quod 2. per viam eminentia ita probatur: Omnis perfectio creaturarum purè talis primariò & longe excellentiori modo convenit Deo. Atqui esse Ens s. existere est perfectio creaturarum pure talis Er. Hoc 3. ipse Deus O. M. confirmat quando nomen Entis sibi quasi proprium tribuit in sacris literis, quod ipse solus sit, qui verè est Ens & à seipso existit. *Vid. Exod. 3. 14. Apoc. 1. 8 c. 4. 8.* Quæ omnia elegantissimus locus à *B. Grawero* in prælectionibus ad *A. C. art. 1. p. m. 80. ex Fonseca l. 4. Metaph. 6. 2. & 3. sect. 2.* adductus breviter nobis exhibet, quem &

C 2

ego



ego hic adscribere non pigrabor: *Quod Ens*, inquit Fonseca, quatenus existentiam significat, de DEO prædicetur in quaestione quid est, eâ ratione probatur: Quia existentia DEI est ipsa ejus quidditas & essentia; alioquin essentia divina non esset purus actus s. nihil habens admixtum potentia ad alium actum. Atque hæc est una ex causis, ob quas DEUS sibi vendicavit nomen Entis tanquam proprium, cum Exod. 3. dixit Mosi: Ego Sum qui sum. Id enim dixit, & quia ipse solus necessario existit, & quia solus est quidditativi sui existentia; & quia ejus solius esse complectitur omnes essendi perfectiones sublatis omnibus imperfectionibus. Vid. plura d. 1.

§. 14.

Conclusio. II. *DEUS est substantia & quidem singularis completa*: Ut hæc conclusio, facilius demonstrari possit, Notandum est I. Quod substantia præcisè spectata quatenus ab increata & creatâ abstrahit, nullam compositionem realem v. g. ex essentia & subsistentiâ involvat, nec etiam in ratione suâ formali importet, ut substat accidentibus, licet vel maximè vox substantiæ à substando derivaretur: Sed in hoc consistit ejus ratio formalis, quod per se existit, hoc est, quod in existendo à subjecto alio non dependet, & opponitur ei Accidens, quod in existendo à subjecto suo dependet, sive quod est in alio tanquam in subjecto. II. Substantia hoc modo sumpta dividitur in *Universalem & singularem* s. in secundam & primam: *Illam* dicitur, quæ quidem non est in alio tanquam in subjecto, potest tamen de subjecto aliquo univocè prædicari e. g. Homo, animal. *Hæc*, quæ nec est in subjecto, nec de subjecto univocè prædicari potest, ita ut natura ejus multiplicabilis sit e. g. Petrus, Paulus. III. Substantia etiam dispescitur in *Completam & incompletam*. *Hæc* est, quæ per se & natura sua ordinatur ad alterius rei constitutionem vel compositionem, adeoque ejus pars est vel essentialis vel integrans: *Illam*, quæ habet essentiam in se terminatam nec per se & natura suâ ordinatur ad alterius rei compositionem. Ex hac terminorum explicatione facile nunc colligitur Conclusionis veritas: Nam quod dicitur (I.) *Deum esse substantiâ*, ostenditur id hoc modo. Quicquid existit, illud in existendo vel dependet à subjecto vel

non

non dependet. Sed Deus existit, ut jam probatum. Er. Major
itid. non indiget probatione. Nam inter hos duos existendi
modos non datur tertium, quia termini formaliter contradi-
ctorii sunt. Porro, si Deus à subjecto in existendo dependet
erit accidens, erit imperfectior creaturis, non erit primum
Ens, adeoque non erit Deus. Consequentia hæc absona sunt,
& contradictionem implicant. Er. etiam Antecedens falsum
est. Si hoc, Er. Deus non dependet à subjecto Er. est sub-
stantia (2.) dicitur Deum esse substantiam *singularem*. Ratio,
est, quia non est in subjecto ut modò conclusum, nec de
subjecto aliquo univocè prædicatur, ita ut natura ejus sit mul-
tiplicabilis. Licet enim Deus de tribus personis prædicetur,
non tamen ita de iis prædicatur, ut essentia divina in illis multi-
plicetur vel multiplicari possit, adeoque absolutè singularis est.
(3.) Additur, Deum esse substantiam *completam*; Et quis, quæ-
so, dicat Deum esse substantiam incompletam per se & natura
suâ ad alterius rei compositionem ordinatam: Quis tantam
imperfectiorem Deo adscribere audebit?

§. 15.

Conclusio III. *DEUS si non tantum præcisè ratione es-
sentia spectatur est etiam persona.* Ratio ex dictis sumi
potest. Omnis enim substantia singularis completa subsistit
vel propriâ vel alienâ subsistentiâ, quæ est ultimum ejus com-
plementum ipsamque incommuni cabilem reddit. Si alienâ,
non peculiare sed cum eo, cujus subsistentia subsistit, unicum
suppositum constituit. Si propriâ subsistentia subsistit & præ-
rerea intelligit, rectè dicitur persona. Cum igitur Deus sit sub-
stantia singularis, completa, ut conclusum, intelligens, ut infra
ostendetur vel propria vel aliena subsistentia subsistet. Alienâ
subsistentiâ ipsum subsistere, independentiæ ejus & infinitæ
perfectiõni repugnat, hæc non permittit ut detur perfectio
simpliciter talis (qualis est esse personam præcisè spectatam
quatenus à Deo & à Creaturis abstrahit) quæ non formaliter
fit in Deo, aliàs in Deo daretur potentia ad actum, cum tamen
sit purus actus, nullamque potentiam passivam admittat. Di-
cendum igitur est, Deum propriâ subsistere subsistentiâ & per-

C 3

sonam



sonam esse h. e. substantiam singularem completam, intelligentem incommunicabilem non sustentatam ab alio. Nec est quod regeras: Personam importare compositionem realem ex essentia & subsistentiâ, quæ Deo tribui non possit. Nam 1. Naturæ lumen nulla fundamenta nobis suppeditat, quibus reale discrimen inter essentiam & subsistentiam innitatur, nullâque ratione ex eo probari potest. Unde etiam distinctionis inter essentiam & subsistentiam apud Veteres Philosophos nullam mentionem fieri constat. Hinc *Suarez Disp. 30. sect. 4. n. 4.* rectè scribit: *Si meram rationem naturalem spectemus, vix potest inveniri ratio ad cognoscendam huiusmodi compositionem etiam in creaturis, nec principium sufficiens ad distinguendam subsistentiam à natura sed ex supernaturalibus mysteriis in illius cognitionem deventum est.* Hæc ille. Nam quod in creaturis essentia & subsistentia revera & realiter distinguantur, ideoque ex iis compositio realis fiat, nos Christiani ex mysterio incarnationis didicimus. 2. Posito, in creaturis rem ita se habere, non tamen inde sequitur, quod in Deo etiam hoc admittendum sit. Si enim personæ vocabulum præcisè quatenus à Deo & creaturis abstrahit, accipiatur, in ratione suâ formali nullam includit imperfectionem sed dicit simpliciter tantum perfectionem, quæ Deo longè excellentiori modo convenit quam creaturis. Quod autem una & simplicissima Dei essentia tribus subsistat subsistentiis, quæ inter se realiter, ab essentia verò solâ ratione differant, de eo ex lumine naturæ nihil quicquam nobis constat. Nihilominus tamen conclusio nostra manet vera & propter rationem adductam prædicatum hoc Deo reverà competit.

§. 16.

Conclus. IV. *DEUS est Spiritus.* Sciendum autem quod Spiritus sit substantia quæ cum materia & formâ Physicâ nullum habet commercium, & hic est conceptus Spiritus, quatenus à finito & infinito spiritu abstrahit, & perfectionem simpliciter talem dicit. Ut jam pro veritate conclusionis non urgeam, quod totidem verbis in Scriptura S. exstat nempe *Joh. IV. 24.* probatur illa seqq. rationibus 1. Cum Deus, ut supra demon-

demonstratum est, sit substantia, aut Spiritus aut corpus est. Deus non est corpus Er. est Spiritus. Major liquida est: Quæcunque enim involvunt rationes contradictorias, illa sub eodem genere, sub quo proximè continentur, non admittunt medium. Spiritus & corpus involvunt rationes contradictorias, nempe constare ex materia & forma, expertem esse materiæ & formæ s. non constare ex materia & forma. Er. Minor: Quicquid est corpus, illud dependet à principiis intrinsicis, materia scilicet & formâ, & à principio extrinseco componente illa, neque vel materia vel forma vel ipsum corpus compositionem & unionem efficere potest, sicut alibi ostenditur. Atqui Deus non dependet à talibus principiis. Er. non est corpus. Minor: Quicquid dependet à certis principiis, illud non est independens, non est Ens primum, sed prius aliquod agnoscit. At verò DEUM non esse independentem, DEUM non esse primum Ens, idem est ac DEUM non esse Deum, hominem non esse rationalem. Firmum itaque maneat, quod Deus non dependeat ab ejusmodi principiis Physicis, adeoque non sit corpus sed Spiritus. II. Quicumq; est actus purissimus, is non constat ex materiâ tanquam potentiâ & forma tanquam actu. Atqui Deus est actus purissimus. E. & per consequens non est corpus sed spiritus. Major: *Id dicitur purum in aliqua ratione quod non habet admixtionem contrarii*, inquit Suarez *Disp. Metaph. 30. sect. 4. n. 8.* Quod ergo actus purus dicitur id non potest habere admixtam aliquam potentiam passivam, hæc enim actui opponitur. At verò quod ex materiâ & formâ constat, multiplicem involvit potentiam passivam, nempe ex parte materiæ potentiam ad actuationem, ut ita loquar, & perfectionem formæ recipendam, ex parte utriusque potentiam recipiendi unionem. Er. quod est actus purus non constat ex materia & forma. Minor per se clara est; cum enim Deus sit primum actuale Ens, omnemque perfectionem sine ullâ imperfectione habeat, & ab omnibus habere concipiatur, ideo nō poterit ei tribui potentia aliqua recipiendi aliquem actum aut perfectionem, erit ergo actus purissimus. Denique III. ut de eo non dicam, quod
immen-

impenetrabilitas & incorruptibilitas essentia divinae excludant omnem compositionem ex materia & forma, de spiritualitate etiam ejus nos dubitare non sinit observatio illius in creaturis, propterea enim Deo multo magis & longe eminentiori modo conveniet, quia est perfectio simpliciter. Ex his ultro sequitur, quod Deo competant etiam omnes affectiones seu attributa Spiritus. Cui enim tribuitur natura spiritus & quidem eminentissimo modo, ei etiam omnes affectiones s. attributa spiritus, utpote quae ab essentia ejus realiter non differunt, eodem modo tribuendae sunt. Atqui Deo tribuitur natura spiritus Er. Major evidens est, quia affectiones spiritus ab essentia ejus sola ratione distinguuntur, si enim realiter ab ea distinguerentur possent separari ab ea. At vero contradictionem implicat naturam spiritus s. id quod materiae & formae expers est, quantitatis, figurae locabilitatis &c. non esse expers. Minorem antea probatam dedimus. Stat E. conclusio, & dicendum est, quod Deus qui est spiritus sit quoque (1.) Immunis a quantitate (2.) Expers figurae (3.) Indivisibilis (4.) Insensibilis & in specie invisibilis (5.) Immutabilis s. immobilis (6.) Incorruptibilis & immortalis (7.) Illocalis & si quae sunt aliae affectiones spiritus, quae in doctrina de Spiritu in genere fuse explicantur & demonstrantur, unde peti possunt.

§. 17.

Conclus. V. *DEUS est à seipso i. e. non est ab alio, adeoque est independens.* Sciendum autem quod aliquid 2. m. non ab alio esse vel dependere possit (1.) Aliquid non dependet s. non est ab alio tanquam a vera causa s. per veram causalitatem (2.) Aliquid non dependet s. non est ab alio quocumque modo ne quidem tanquam a principio quodam. Deinde vocabulum Dei potest dupliciter sumi 1. *Absolute* quatenus notat essentiam divinam in se spectatam. 2. *Restrictè* & personaliter, quatenus significat essentiam divinam per subsistentiam ad certam personam restrictam. Ex his inferendum est I. Deus absolute & quoad essentiam suam praecise spectatus nullo modo est ab alio, & iste sensus potissimum hic locum habet. II. Deum restrictè & personaliter consideratum (licet non sit ab alio per
veram

veram causalitatem & actionem, tamen) ab alio tanquam a principio esse per generationem & spirationem æternam de fide est, & docent Theologi, ratio autem de eo nihil novit. Veritas assertionis ex ipso sensu ejus jam exposito perspicitur, adeoque operosa probatione non indiget: Imò implicat esse DEUM & tamen esse ab alio & ab eo per veram causalitatem dependere, hoc ipso enim non est Deus, sed is potius dicendus esset Deus, a quo dependeret: Nam juxta vulgarem omnium conceptum significat hoc nomen nobilissimum quoddam Ens, quod & reliqua omnia superat, & ab eo tanquam a primo autore reliqua omnia pendent, quod proinde ut supremum Numen colendum est ac venerandum, inquit saepe laudatus Suarez Disp. Metaph. 29. sect. 2. n. 6. quod supra etiam §. 1. præsuppositum & tanquam certum sumtum fuit. Hinc potè innotescit veritas illius quod dicitur (1.) *Deus est Ens necessarium* & (2.) *Deus est Ens per essentiam* (Quia enim Deus non est ab alio per veram causalitatem, nec etiam sui ipsius causa, Non enim possibile est quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius se ipso inquit B. Stal. Reg. Phil. Disp. IV. Reg. 1. part. 1. ex Thomâ Part. 1. q. 2. art. 3. sequitur quod necessario & quidem per suam essentiam existat.) Nec non (3.) *Deus est Ens increatum*. Hoc enim prædicatum connotat tantum certum modum, quo non sit ab aliâ causa, quod scilicet non sit ab alio per creationem. Ex his prodit.

§. 18.

Conclus. VI. *Deus est causa simpliciter primâ & simpliciter ultima*. Prædicatum hoc relativum bimembre est, & prius membrum de causa efficiente, posterius de causa finali intelligendum est. Ratio autem assertionis est, quia in causis non est admittendus progressus in infinitum, juxta *Philos. 2. Metaph. 2.* Ergo nec in genere causarum efficientium & finalium; Admittendus autem esset nisi constitueretur aliqua causa efficiens prima & finis aliquis ultimus. Et ut primo loco de posteriore agam, notum est, quod finis simpliciter ultimus sit, cujus gratia in universum omnia sunt, ipse autem prorsus nullius alterius gratia est. Deum esse talem finem probatur hoc modo.

D

Quic-



Quicquid nullam causam efficientem agnoscit, illud etiam non habet causam finalem propriè sic dictam, cujus gratia sit vel fiat. Atqui Deus nullam causam efficientem agnoscit. Er. Major: Causalitas per quam causa finalis in esse causæ constituitur, est movere appetitum s. voluntatem causæ efficientis. Ubi igitur nulla datur causa efficiens, ibi nulla est causalitas causæ finalis, adeoque nec ipsa causa finalis; Cujus autem nulla datur causa finalis, sed ipsum potius est finis omnium, & ipsius gratia omnia sunt & fiunt, id finem simpliciter ultimum esse oportet. Minor ex dictis §. præced. confirmari potest & jamjam magis confirmabitur. Quod ergò *prius membrum* attinet illud propter conclus. V. jam demonstratam firmum manet & præterea probari solet hoc modo: In quibus causis datur essentialis subordinatio, in illis causis datur etiam causa prima. Atqui in causis efficientibus datur essentialis subordinatio. Er. Major: Essentialis subordinatio consistit in ordine, qui prius & posterius involvit, nec cum infinitudine stare potest, sed tandem in eo ad primum aliquod & ultimum deveniendum erit. Minor: Causæ creatæ in operando ex natura sua dependent ab increatâ, ita, ut, si hæc non esset, aut non operaretur, illæ quoque non operarentur, imò ne quidem existerent, per ipsum enim nempe Deum vivunt, moventur & sunt sicut Scriptura S. testatur. Manet ergo quod in causis essentialiter subordinatis detur ordo, & tandem ad primam aliquam deveniendum sit, à quâ reliqua omnia, ipsa verò à nullâ aliâ dependeat. Talem neque in Scripturæ neque in naturæ libro invenire possumus, nisi unicum Deum, qui propterea etiam à Philosopho πρώτη καὶ δευτερεύουσα αἰτία, πρώτων τῶν ὄντων, γενέτωρ five Autor eorum omnium, quæ in hoc mundo quoque modo perficiuntur, rectissimè salutatur, ut scriptores passim ex ejus libris observant.

§. 19.

Ut autem hæc evidentiora fiant, sciendum est porrò & quidem I. Quid sit *causa prima*, quid *secunda*? Illa est quæ à nullo per veram causalitatem dependet, ab ipsa autem pendent reliqua omnia. *Hæc*, quæ aliam causam agnoscit priorem à qua depen-

dependet. II. *Causa prima dupliciter potest considerari in ordine ad causas secundas* (1.) quatenus refertur ad illas tanquam ad effectus suos in fieri (2.) quatenus refertur ad causas secundas quâ tales h. e. quatenus sunt causæ & res existentes quæ operari possint. Utroque modo; Causæ secundæ â primâ dependent, priori modo in fieri, posteriori modo in existendo & causando. III. *Ratio causandi* causæ primæ est id, quo in actu primo constituitur ut possit operari, hoc autem est infinita ejus potentia activa imò ipsa essentia. IV. *Causalitas* s. id, quo in actu secundo constituitur, est actio ejus ad extra, respectu enim actionum Dei ad intra vel actionum immanentium non datur causa efficiens propriè sic dicta, adeoque nec causalitas nec ratio causandi, quæ â se invicem distinguantur. V. Sicut causæ secundæ, ut dictum, non tantum quatenus operantur, sed eatenus etiam â causa primâ dependent, quatenus causata & effectus sunt, h. e. in fieri, & vero deprehenditur aliquos inter illos effectus posse & potuisse tantum produci ex nihilo quales sunt materia prima, Intelligentiæ s. Angeli & animæ rationales; aliquos verò ex aliquibus, principiis scilicet, suis productos esse, nec aliter produci potuisse v. g. corpora. Ita respectu illorum ratio causandi nempe potentia vel ipsa essentia divina dicitur *potentia creandi* â quâ causa prima s. Deus *Creator dicitur*. Causalitas per quam in actu secundo constituitur Creator dicitur *Creatio*, quæ nihil aliud est quam productio rei ex nihilo. Respectu autem horum, intellige effectuum qui ex aliquibus producuntur, ratio causandi eadem est, sed propter aliud connotatum aliud etiam nomen accipit & vocari potest *potentia generandi* s. ex aliquibus aliquid producendi; atque hinc dicitur â Philosopho *genitor & parens*, imò ipse Deus in scripturis Patrem nostrum se vocat: Causalitas per quam producit aliquid ex suis principiis, dicitur *Generatio*, quamvis etiam ei tribuatur nomen creationis. VI. Causas secundas eatenus, quatenus considerantur ut res existentes & causæ operantes, itidem â causa primâ dependere, supra dictum est. Et hoc respectu quidem ratio causandi una & eadem potest dici *potentia conservandi* s. concurrendi, â quâ ipsa

causa prima s. Deus dicitur *Conservator*: Causalitas per quam potētia illa in actu secundo cōstituitur, vocari solet *Conservatio* vel *Concursus*, nihilque aliud est quam actio causæ primæ ad extra, quā cum causis secundis sibi essentialiter subordinatis omnes ipsarum effectus immediatē producit ipsasque sustentat & conservat. Ex eo igitur quod Deus est causa prima, sequitur quod etiam sit Creator, Genitor & Conservator. Sed hæc breviter & simpliciter proposuisse sufficiat, omnia enim pro dignitate tractare ratio instituti non permittit.

§. 20.

Conclus. VII. *Deus est infinitus*. Paucis hīc observo infinitum latē patere, & formaliter dicere negationem finis s. termini, est enim Infinitum idem ac si dicas, id quod non habet finem seu terminum. Dantur autem termini seu fines adeoq; & negatio eorum *proprie* in quantitate, hæc enim *proprie* finitas cuius scilicet partibus acceptis nihil extra sumitur, & Infinita, cuius partes si accipias, semper aliquid extra sumi potest, dicitur. *Improprie autem & translative* dantur etiam termini & eorum negatio in essentiā & perfectione, quæ propterea dicitur quantitas virtutis, hoc modo Finitum dicitur cuius perfectio est limitata & terminata e. g. Scientia humana est perfectio quædam sed limitata, quæ non ad omnia quæcunque ullo modo sciri possunt, se extendit, imò omnis perfectio creaturarum, quantacunq; etiam sit, certum gradum & terminum habet intra quem subsistat. Infinitum hoc modo vocatur, quod perfectionum suarum nullum habet finem s. terminum. Et ita solus Deus est & dici potest infinitus, quia solus essentiæ suæ, existentia, durationis, & esse in ubi, scientiæ, potentiæ & aliarum perfectionū nullos agnoscit terminos, unde etiā dicitur omniscius, omnipotens immensus, omni præsens &c. de quibus infra. Dum verò infinitas de Deo negat terminum perfectionis, eo ipso simul ponit summam ejus perfectionem, ut meritò perfectissimus dicatur. Hæc omnia (ut Scripturæ testimonium, quæ inter alia docet Deum esse *magnum & magnitudinis* i. e. *perfectionis ejus non esse finem* vel pervestigationem *Ps. 145. 3.* nunc non adducam) ex superioribus manifesta sunt: Quicunq;
enim

enim est causa efficiens omnium rerum, cum omnes illarum perfectiones si non formaliter certe eminenter & longe excellentiori modo habere oportet. Atqui Deus est causa efficiens & quidem prima omnium rerum. E. Qui autem omnem in universum perfectionem habet, ille perfectionum suarum terminum non agnoscit, adeoque infinitus est. Imò, Si Deus haberet terminum perfectionis suæ, ita ut aliqua perfectio simpliciter talis non esset in Deo, Deus non esset actus purissimus, sed haberet potentiam ad illam perfectionem, hoc autem falsissimum esse, aliquoties dictum est. E. & illud falsum esse necesse est.

§. 21.

Conclus. VIII. *Deus est unus.* Breviter hinc iterum moneo, quod *unum* aliquid dici possit 2. modis (1.) *Absolute* quatenus formaliter dicit negationem divisionis, hoc modo est attributum Entis, & idem est ac Indivisum (2.) *Exclusive* prout dicit negationem multitudinis s. plurium talium, quale est ipsum & idem est ac unicum s. unum tantum. Jam dicendum est, quod Deus *utroque modo* sit Unus, indivisus scil. & unicus. Hoc facile ex jam demonstratis demonstrari potest & I. quidem hoc modo: Ens est unum s. indivisum. Deus est Ens. E. Major: Unum quatenus negat divisionem est attributum entis, & cum eo recipiari potest. Minor supra Conclus. I. probata fuit. Huc accedit, quod Deus est simplex, adeoque ne dividi quidem potest ut in sequente conclus. probatur. Multò magis igitur indivisus erit, negatâ enim potentia rectè etiam negatur actus. II. Deum esse Unicum s. unum tantum, ita ex precedentibus ostenditur: Quicumque est infinitus, ille est unicus. Atqui Deus est infinitus. Er. Minor conclus. VII. probata est. Majoris ratio est, quia plura infinita numero distincta dari impossibile est. Aut enim unum illorum dependet ab altero aut non dependet. Si dependet, non est infinitum, quia perfectionem aliquam, nempe esse Ens primum, causam primam, non habet, adeoque non est Deus, siquidem tale quid omnes concipiunt auditâ voce Dei, ut sæpe dictum probatumque est. Si non dependet, aut distinguitur ab altero per aliquid sibi pro-

prium, aut non distinguitur ab eo ulla ratione. Alterutrum
 elige, & habebō quod volo: Si hoc, non sunt plura infinita,
 sed unum tantum, ubi enim nulla datur distinctio, ibi etiam
 nulla est pluralitas: Si illud, aut hoc quod alteri proprium est
 & per quod ab altero distinguitur, est perfectio, aut non est
 perfectio, sed imperfectio; Si est perfectio, alterum, à quo per
 eam distinguitur, non erit infinitum, quia perfectio aliqua ipsi
 deest & ita rursus non sunt plura infinita. Si non est perfectio,
 sed imperfectio, ipsum nec Deus nec infinitum esse potest: Es-
 se enim infinite perfectum sine omni imperfectione adeoque
 Deum esse, & tamen imperfectionem involvere, contradic-
 tionem implicat, ut ex communi conceptu de voce Dei, quem
 diximus, constat. Deinde quæ necessitas, quæ ratio urget plu-
 res constituere Deos, cum unus sufficiat? Deus enim est *ἀγαθ-
 ος*, illud, quod non solum essentialiter perfectum & sibi suffi-
 ciens est, sed etiam omnibus aliis rebus conservandis sufficit.
*Entia igitur præter necessitatem & sine urgente ratione non sunt
 multiplicanda*, ut habet tritum illud Philosophorum axioma.
 Hinc etiam (ut Scripturæ S. auctoritatem nunc seponam, quæ
 aliàs nullibi non pluralitatem Deorum rejicit & unitatem ad-
 struit v. g. *Deut. 4. 35. 1. Cor. 8. 4. &c.*) sapientiores ethnici u-
 num Deum esse, non multos diserte affirmarunt, sicut viri eru-
 diti ex scriptis eorum satis superque demonstrarunt, loca, cum
 ubivis obvia sint, adscribere, cui bono? *Vide sis B. Horn. in
 disp. de Deo sect. 1. §. 4. & alios.*

§. 22.

Conclus. IX. *Deus est simplicissimus.* Ex Tab. XVI. Met.
 B. Sthal. observo hic I. Simplex aliquid dici duobus modis
 (I.) *Absolutè*, quod nullo realis compositionis genere est com-
 positum (2.) *secundum quid* & quidem vel respectu certi generis
 rerum, quomodo corpus dicitur simplex, in genere scil. cor-
 porum vel respectu certi generis compositionis realis, quo-
 modo Angeli sunt simplices quia non sunt compositi ex ma-
 teria & forma Physicâ neque ex partibus integrantibus. II. No-
 tandum compositionis genus duplex esse (a) *Compositio realis*
*cujus extrema sunt realia realiter distincta & fit I. Ex materia
 & for-*

& forma substantiali Physicâ, 2. Ex partibus integrantibus
3. Ex materia & forma accidentali s. ex subjecto & accidentibus. 4. Ex gradibus per intensiorem. 5. Ex essentia & subsistentiâ: (β) *Compositio rationis*, cujus extrema ratione & per conceptus formales tantum distincta sunt. Ex his sensus conclusionis talis emergit: Deus absolute simplex est, nec ullo compositionis realis genere compositus est, licet nos vel mille conceptus formales distinctos de eo faciamus. Hinc patet, quod simplicitas Dei formaliter consistat in negatione compositionis realis non rationis: Intellectus enim noster propter infirmitatem & imperfectionem infinitam Dei essentiam omnesque ejus perfectiones unico conceptu comprehendere non potest, ideo, ut nihilominus eam aliquo modo cognoscat, plures distinctos conceptus format, qui tamen in ipso Deo nihil distinctionis nec compositionis realis important. *Negat itaque Simplicitas Dei summa de ipso I. Compositionem ex materia & forma substantiali Physica.* Hoc ex conclusione IV. jam evidens est, ubi ostensum, Deum esse spiritum, nullumque commercium habere cum materia & forma, ex quo per se fluit, II. *Compositionem ex partibus integrantibus* in Deo etiam non dari. Quicquid enim non habet materiam illud non est quantum, quia quantitas individuo nexu cum materiâ cohæret, ita ut omne materiatum sit quantum & omne quantum sit materiatum. Porro: Quod non est extensum, illud non habet partes extra partes: Quod non habet partes extra partes, illud non est compositum ex partibus quantitativis. Atqui Deus non habet materiam, ut dictum. Er. non est quantus Er. non habet partes extra partes. Er. non est compositus ex partibus quantitativis s. integrantibus. Addo quod Deus est Spiritus indivisibilis; Quod autem partibus integrantibus constat, non est planè indivisibile sed divisibile in illas partes, ut quivis videt. III. *Compositio ex subjecto & accidentibus* repugnat ejus independentiæ & summæ perfectioni nec non immunitati à potentia passiva s. receptivâ per quam recepisset aut reciperet illa accidentia realia tanquam perfectiones. Nec est quod objicias esse in Deo decreta Dei, relationes ad creaturas, actiones ejus,
hæc

hæc omnia autem accidentia esse, cum potius hæc omnia ex parte Dei sint ipsa ejus essentia quæ respicit creaturas, & à nobis respectu hujus vel illius connotati aliter atq; aliter concipiuntur; Distinguendum autem est inter actiones Dei immanentes & transeuntes, de illis intelligendum est quod dictum, hæc enim sunt accidentia sed non in Deo verum in creaturis recipiuntur. Hinc sequitur IV. *Quod Deus non sit compositus ex gradibus per intensiorem*, hi enim accidentibus tantum competunt & quidem qualitatibus quæ intendi & remitti possunt. Cum verò in Deo tales qualitates & qualitatuum gradus non dentur, sequitur etiam, quod in eo non detur compositio ex gradibus illis. Benè igitur monet *Suarez Disp. 30. sect. 15. n. 17.* quod quando scientiam Dei *intensivè & extensivè perfectissimam* vocet, *illud non intelligendum sit de intensione graduati, qualis esse solet in qualitatibus, sed de eximiâ perfectione quam habeat illa scientia in omnibus conditionibus s. proprietatibus perfectæ scientiæ.* Denique V. *Compositionem ex natura & subsistentiâ* in Deo non dari supra §. 15. dictum fuit, & insuper probari potest hoc modo. Quæcunque essentia realiter distinguitur à subsistentiâ illa habet potentiam & indifferentiam quandam ad propriam vel alienam subsistentiam. At verò Dei essentia talem potentiam & indifferentiam non habet nec habere potest. E. Major clara est & illustrari potest exemplo humanæ naturæ, quæ quia à subsistentiâ realiter differt, indifferens est ad propriam & alienam subsistentiam, ita ut possit tam alienâ quam propriâ subsistentiâ subsistere; sicut etiam in Christo alienâ subsistentiâ s. personalitate nempe *ἡ λογική* eam subsistere contra Nestorium simplici fide credimus. Minor: Habere potentiam & indifferentiam ad propriam & alienam subsistentiam aliquam involvit imperfectionem & contingentiam, quæ Deo tanquam Enti perfectissimo & necessario purèque actuali tribui non potest. Reliquum nunc est ut concludamus, Deum esse absolutè simplicem, quia, ut vidimus, nullum compositionis realis genus ipsi tribui potest, quod denique hac generali ratione probatur ita: Cui repugnat limitatio & imperfectio ei etiam repugnat compositio realis. Atqui Deo repugnat limita-

limitatio & imperfectio. Er. Subsumtio extra litem est. Propositio probatur: Compositio realis supponit distinctionem realem extremorum componentium, quorum singula sunt limitata & imperfecta, quia unum non includit perfectionem alterius, adeoque nullum eorum secundum se includit omnem perfectionem, unde nec illud, quod ex his componitur, undique perfectum erit, quia hoc ipso, quod constat ex limitatis & imperfectis extremis, limitationem & imperfectionem magnam involvit, quæ, ut dictum, Deo repugnant. *Alia & plura fundamenta vid. ap. Suarez. d. l. sect. 3. & in part. 1. Thomæ Tract. 1. l. 1. cap. 4.*

§. 23.

Conclusio X. *DEUS est immutabilis.* Potest aliquid dici immutabile duobus modis. I. *Absolute* quod excludit omnem mutationem, & nullo modo aliter se habere potest. 2. *Secundum quid*, quod sc. non potest mutari mutatione physicâ v. g. generatione, corruptione, augmentatione, alteratione, motu locali. Deus non tantum posteriori modo, sicut jam ante §. 16. dictum; sed etiam priori modo est immutabilis. Per hoc igitur attributum removetur à Deo omne mutationum genus, s. ratione existentia, s. ratione aliorum attributorum, v. g. scientia, voluntatis &c. s. modo ratione ubi etatis, ut loquuntur, s. alio quocumque accidere possit. Demonstratur illud ex jam demonstratis, nempe ex eo, quod Deus est à seipso, simplex & infinitus, I. Quicumque à seipso est per essentiam suam & necessario, is in essentia suâ & existentia plane mutari nequit. Atqui Deus à se ipso est &c. *vid. §. 17.* Er. Major: Qui ratione essentia & existentia suæ mutari potest, ita ut non sit, & produci possit, vel ut sit & destrui possit, is non est à se ipso, non est ens per essentiam & necessarium quæ omnia tamen supra de Deo jam demonstrata sunt, & propterea prius illud. nempe mutari posse, excludunt. II. Quicumque est simplicissimus is, est immutabilis. Atqui Deus est simplicissimus. Er. Minor probata est. Major: Mutabilitas cum summa Dei simplicitate stare non potest, quia omnis mutatio, præsertim Physica, importat compositionem aliquam v. g. ex subjecto & termino, qui vel amittitur vel ac-

E

quiri-



quiritur; qualem in Deo non dari evictum est. III. Quicumque est infinite perfectus, is est immutabilis. Atqui Deus est infinite perfectus. E. Minor constat ex Concl. VII. Major probatur. Si is, qui est infinite perfectus, ulla ratione mutari potest, tunc vel amittet perfectionem, quam antea habuit, & ita non amplius est infinite perfectus; vel acquireret aliquam perfectionem, quam non habuit, & sic prius non fuit infinite perfectus. Aliquid autem infinite perfectum esse, & quidem omni tempore, & nihilominus perfectionem quandam modo habere, modo non habere, contradictio est. Hoc ipse Deus immutabilis, apud quem non est transmutatio aut conversionis obumbratio saltem Jac. 1. 17. de se ipso testatur Malach. 3. 6. Ego Dominus, inquit ibi, non mutor. Quod ex lumine naturali etiam agnovit Philosophus, quando lib. 1. de celo cap. 9. scripsit: *Quae supra caelum sunt, neque apta sunt esse in loco, neque tempus ipsa senescere facit, neque ullius eorum est ulla mutatio, sed nullis alterationibus, nullis omnino passionibus subjecta optimam & sufficientissimam vitam habent & per omnem aeternitatem durant, quanquam rationem immobilitatis Dei lib. 8. Phys. cap. 6. & 12. Metaph. 7. ab ipso allatam non satis firmam esse pluribus ostendit Soarius d. 1. sect. 8. n. 5. seqq. qui vid. potest. Nec est, quod dicas, obstare immutabilitati Dei. a. Mutationem scientiae ipsius, qua aliquid extra se jam non scit e. g. mundum hunc esse in potentia objectiva, quod antea scivit, nempe ante creationem hujus universi. b. Decreta Dei libera, quae per hoc quod sunt libera, possunt esse & non esse. c. Relationes Dei ad extra, quae nunc in Deo sint; ab aeterno autem non fuerint. Ad primum enim dubium jam tum respondit Dn. Praeses in Disp. de Scientia Dei num. 49. Ad alterum dudum responsum fuit a B. Horneio in Disp. de Deo sect. 3. n. 87. ut interim & his & ultimo dubio breviter etiam hic satisfiat, sciendum est, quod in scientia, Decretis & Relationibus Dei ad extra tria distincte consideranda sint, (1.) Ipsa essentia Dei, cui, quatenus respicit & terminatur ad objectum & connotatum, hoc vel illud praedicatum tribuitur. (2.) Ipsum objectum s. connotatum. (3.) Respectus s. terminatio essentiae divinae ad objectum vel connotatum, qui duo priora involvit*

involvit e. g. Decreta Dei important 1. voluntatem s. ipsam
essentiam Dei 2. Objectum ad quod terminatur essentia divi-
na 3. Respectum s. terminationem duo priora connotantem:
Idem de scientia Dei & Relationibus ad extra dicendū. Ex his
suppositis inferendum est, quod scientia, decreta & relationes
Dei *quoad primum* nullam admittant nec patiantur mutatio-
nem; sunt enim hoc modo ipsa essentia Dei, quæ prorsus immu-
tabilis est: Quod *ad secundum* attinet, nempe objectum, illud
utique mutari posse & sæpius mutari nemo negat, sed pro-
pterea in Deo nulla fit mutatio. *In tertio* denique, nempe in re-
spectu & terminatione tam id, quod Deo intrinsecū est, nempe
ipsam essentiam quam objectum vel terminum connotante,
potest fieri mutatio ratione posterioris, objecti videlicet vel
termini, non verò ratione prioris: Licet enim essentia Dei
respiciat & terminetur ad objectum vel terminum aliter atque
aliter se habentem, per hoc ipsa essentia Dei aliter atque aliter
se non habet, ut ita omnis mutatio in objectum vel terminum
extra Deum redundet. Et hoc probant etiam dubia.

§. 24.

Conclusio XI. *DEUS est æternus.* Ex attributis jam ex-
plicatis præcipuè ex immutabilitate & infinitate promanant
æternitas & immensitas Dei, quæ juxta nostrum concipi-
endi modum ab illis tanquam angustius quid à latiori diffe-
runt; de hac in sequente de illa in præsentem §. breviter aliquid
addendum. Dicit igitur æternitas essentiam vel existentiam
Dei permanentem, cum negatione principii & finis ejusdem
tam actualis quam possibilis à nobis conceptam. In quibus
verbis duo significo 1. *Materiale* quod est ipsa Dei essentia s.
existentia uniformiter & immutabiliter sese habens. 2. *For-
male*, quatenus nos concipimus illam cum negatione princi-
pii & finis tam possibilis quam actualis, ita ut Deus nec ini-
tium nec finem existentia suæ habeat aut habere possit, ubi au-
tem nullum initium, nullus finis datur ibi etiam non datur me-
dium quid, ibi nulla successio locum habet. Hinc ultro se-
quitur, quod æternum esse soli Deo, nec ulli creaturæ conve-
niat, etiamsi ea vel maximè à Deo ab æterno producta esset, &

E 2

in æter-



in æternum etiam permaneret, propterea, quia ipsi non repugnat habere initium & finem, nec existentia ejus uniformiter & immutabiliter sese habet. Patescit illinc porrò quod æternitas h. e. ipsa Dei existentia, quatenus à nobis concipitur cum negatione principii & finis successionisque tota uniformiter & indivisibiliter coexistat omnibus creaturis, & singulis temporum differentiis; nec tamen inde sequitur, quod omnes creaturæ vel singulæ temporum differentiæ sibi invicem coexistent. Sicut non sequitur: Hic homo totus & integer coexistit huic horæ, illi, isti horæ Er. ipsæ horæ etiam simul existunt totæ & integræ. Quod autem nos plerumque in æternitate concipimus aliquod initium, quod concipimus eam tanquam successivum & fluens aliquid, id totum fit propter imperfectionem intellectus nostri, qui omnem durationem in universum ad modum durationis successivæ & continuæ sive temporis, utpote quod motum, qui sub sensus adeoque in hac vita etiam sub intellectum cadit, necessariò consequitur, concipere solet, quod ex lumine naturæ agnovit *Plato*, quâdo in *Timæo* scripsit: *Hæc omnia Erat & Erit pars temporis sunt, quæ nos per imprudentiam transferimus ad æternam illam essentiam minus rectè: Dicimus enim erat & Est & Erit. At illi τὸ Est tantum juxta veram rationem competit, τὸ erat autem & erit de generatione dicendum est, quæ est in tempore, quod autem semper eodem modo & immutabiliter se habet, id nec senescere nec juvenescere convenit.* Verba græca loc. cit. vel etiam apud *B. Horneium d. l. sect. 2. num. 70.* unâ cum hac latinâ versione videri possunt. Possent nunc æternitas Dei prolixè probari ex precedentibus attributis, ex eo videlicet, quod Deus est immutabilis, infinitus, Ens necessarium, nisi quilibet absque ullo negotio demonstrationes inde petere possent. Sacer codex ad captum nostrum in hac materia se accommodans luculentissime æternitatem Dei adstruit v. g. *Psalm. 90. 2. Præquam montes nascerentur & formaretur terram & orbem à seculo usque ad seculum tu Deus. Psalm. 102. 25. In generationem generationum sunt anni tui Es. 40. 28. Deus æternus Ebr. 1. 10. seqq.* Hinc *Thales Milesius* quærenti quid esset Deus, rectè respondit: Μητ' ἀρχὴν ἔχων, μήτε τέλος. S. 25.

§. 25.

Conclusio XII. *DEUS est immensus.* Sumitur autem immensum dupliciter (1.) *Improprie & late*, prout idem est ac infinitum, quod perfectionum suarum terminum non admittit. Hoc modo August. Confessio accipit τὸ immensum esse, quando artic. 1. potentia, sapientia & bonitati divina immensitatem tribuit, nihil enim aliud vult, quam Deum perfectionum harum nullum finem nullumque terminum agnoscere, quâ de re vid. *Plur. Rev. Dn. D. Musæi prælectiones ad d. l. §. 19.* Hæc acceptio non est hujus loci, sed de eâ jam supra §. 20. actum fuit. (2.) *Proprie & strictè*, prout immensum esse idem est ac nullo loco vel spatio mensurari, terminari aut includi posse. Hæc acceptio locum hic invenit, ut ita immensitas Dei formaliter dicat negationem mensurabilitatis s. terminationis per loca aut spatia, quasi esset in hoc ubi s. spatio non verò in alio, hoc enim repugnat infinitati & immutabilitati divina. *Illi*, Quicumque ita est alicubi ut non sit alibi, is perfectionum suarum terminum agnoscit. Deus illum non agnoscit Er. Minor supra probata. Major luce sua radiat, quia esse in ubi est perfectio quædã, & quo quis in pluribus ubi est, eo major est hæc perfectio, qui igitur nō est in omnibus ubi, quæ esse aut concipi possunt, is in hac perfectione terminum & finem habebit; quod quia Deo tribui non potest, firma manet Conclusio. *Huius*: Si Deus non est immensus, sequitur quod sit mutabilis; Ratio, quia si Deo non competit omnis ubiætas (loqui cum aliis ita liceat) sequitur utique, quod possit esse in illo ubi, in quo antea nondum fuit, atque ita revera mutari, mutationemque illam recipere, quæ omnia cum absurda sint, verum maneat, quod Deus sit immensus & ubique non tantum virtute & operatione sed essentia quoque & substantia suâ, sine extensione tamen & aliquâ molis quantitate, talem enim cum immensitate ne quidem consistere posse Physici docent. Ex hac conclusione necessario fluit

§. 26.

Conclus. XIII. *DEUS est omnipræsens.* Neque hæc duo, immensitatem puta & omnipræsentiam, quoad nostrum

E 3

conci-

concupiendi modum unum & idem plane dicunt: Licet enim in re ipsa nihil discriminis sit inter ea, cum utrumque denotet simplicissimam Dei essentiam, nos tamen quando eam immensam dicimus, simpliciter concipimus cum negatione mensurabilitatis per terminum localem s. cum negatione limitatæ ubi-
tatis, adeoq; immensitas est attributum negativum. Quando autem dicimus eandem essentiam omnipræsentem, concipimus illam cum relatione ad creaturas omnes, omniaque loca & spatia quibus adest, unde hoc attributum positivum est. Notandum autem quod aliquid possit esse præsens & omnipræsens variis modis (1.) *Ratione operationis*, cujus sc. vis operandi ad omnia possibile pertingit, hoc m. corpora cœlestia his inferioribus dicuntur præsentia, quia influxum præstant in hæc inferiora sicut Physici docent. (2.) *Ratione cognitionis*, cujus scientia ad omnia objecta scibilia se extendit. Sed hæc acceptiones non sunt hujus loci, & qui priori modo dicitur omnipræsens, magis propriè omnipotens vocatur, sicut qui posteriori modo tantum omnipræsens est, rectius omniscius dicitur, de quibus infra. (3.) Igitur dicitur aliquid omnipræsens *ratione substantiæ & essentiæ*, quod scil. quoad substantiam & essentiam suam omnibus creaturis omnibusque locis s. revera sint in rerum natura s. à nobis tantum concipiantur per intrinsicam suam ubi-
tatem (quæ est ipsa ejus essentia) totus & indivisibiliter præsens est. Quod tamen non ita intelligendum esse existimo, quasi Deus illis reb^o & locis quæ à nobis esse concipiuntur, cum tamen non sint, revera & realiter adsit, quod enim plane non est, quomodo ei Deus adesse potest? Sed hic sensus esse videtur, quod, si res & loca s. spatia illa revera darentur & existerent, Deus etiã necessario quoad essentiam suã & per essentiam suam præsens illis esset, cum ibi sit, ubi hujusmodi spatia esse possunt, in illis interim dicunt DEUM sibi ipsi præsentem esse. Probatum autem DEI omnipræsentia hoc modo: Quicumque est immensus infinita immensitate essentiæ suæ ille quoad essentiam suam est omnipræsens. Atqui Deus est immensus &c. Er. Minor præced. §. probata est. Major per se manifesta est. Qui enim ratione essentiæ suæ nullam admittit
men-

mensurabilitatem s. terminationem per loca, locorum intervalla aut spacia, is etiam necessario omnibus locis ac spatiis que sunt, omnibusque rebus in iis existentibus præsens est, & si adhuc plura loca, spatia & realia pluresque res darentur, etiam iis præsens esset, & sic consequenter. Nec est quod dicas: Hoc obstare immutabilitati Dei, per hoc enim quod Deus mox alicui rei adest, mox nõ adest, aliquo modo mutari videtur. Nam ex superioribus repetendum est, quod, sicut pleraque attributa positiva: ita etiam omnipræsentia divina *tria* nobis considerata exhibeat 1. *Ipsam essentiam Dei*, quæ omnibus locis ac rebus quæ existunt aut existere possunt, ad esse potest, omnipræsens dicitur 2. *objectum* s. res ipsa cui essentia divina præsens esse potest. 3. *Respectum* inter utrumque. Si quæ mutatio accidit, illa accidit in objecto & connotato, s. in respectu ratione objecti, nequaquam autem in essentia divinâ. e.g. quod Deus ab æterno præsens non fuit huic mundo, jam autem præsens est, per hoc nulla mutatio in ipsa essentiâ divina involvitur, sed omnis mutatio cadit in objectum quod respicit essentia divina, nempe mundum qui ab æterno non fuit, nunc autem est; Ipse Deus semper immutabiliter se habet & absolutâ atque intrinseca suâ præsentia ab æterno præsens fuit, & in æternum præsens erit s. res aliæ existant quibus præsens sit s. non; Unde rectè etiamnum dicitur esse extra mundum, licet res nullæ ibi sint, quibus præsens sit. Hoc ipsum sacræ paginæ nos docent 2. *Reg. 8. 27.* Cælum & cæli cælorum te scil. Deum non capiunt conf. *Es. 66. 1.* Rectè itaque Naëmensis ille Zophar apud *Jobum cap. 11. 8. 9.* cælo excelsiorem, inferno profundior, terrâ longiorem & mari latior, ipsum vocat.

§. 27.

Conclus. XIV. *DEUS est vivens vitâ spirituali.* Circa hanc conclusionem notandum, quod duplex possit constitui vita. 1. *Naturalis*, quâ scil. plantæ & animalia vivunt, quæque ideò vegetativam & sensitivam sub se complectitur, quò alii referunt etiam, cum homo dicitur vivere vitam hominis. 2. *Spiritualis*, qua vivunt substantiæ spirituales & alias dici solet intellectualis & appetitiva, per voluntatem scil: Utraque
autem

autem potest spectari dupliciter (1.) *In actu primo* pro ipso principio operationis vitalis. (2.) *In actu secundo* pro ipsa operatione vitali. Præterea observandum, quod actus primus & secundus vitæ dupliciter considerari possint *α. quatenus se ex parte creaturarum habent*, & ita actus primus vitæ dicitur forma vel natura quatenus potest esse principium & causa operationis vitalis. Actus secundus est ipsa operatio vitalis à principio illo realiter producta & distincta. *β. Quatenus sunt perfectiones simpliciter sublatæ omni imperfectione.* Hoc modo actus primus vitæ est potentia vivendi, non considerando, quod potentia illa realiter eliciat aut realiter producat actionem vitalem, productamq; iterum recipiat. Actus verò secundi nomine intelligitur ipsa actio vitalis v. g. actualis cognitio & appetitio, non attendendo, an à principio realiter producta sit, sed ut à nobis concipiatur saltem per modum actionis, cum potentia tamen vivendi à parte rei idem sit. Jam quod de omnibus attributis divinis observandum est, id *in hoc manifestissimum est, scilicet secundum modum quo sunt in creaturis, non esse in Deo formaliter, sed eminenter: Esse autem in Deo formaliter secundum modum altiore, qui omnem imperfectionem creaturarum excludat*, uti Soarius loquitur *Disp. Metaph. 30. Sect. 14. n. 7.* His igitur prænotatis, dicendum est I. *Deus non vivit vitâ naturalî s. Physicâ.* Ratio est manifesta, quia ad hanc requiruntur membra & organa corporea, aut saltem præsupponuntur, principium item internum, quod per illa operetur & actus vitales realiter producat, aut hos actus præsupponat, quæ cum insignem imperfectionem involvunt, Deo tribui non possunt, ut ex supra dictis jam constat II. *Deus non vivit vitâ spirituali s. in actu primo s. in actu secundo spectetur, si actus primus & secundus vitæ priori modo sumantur*, prout ille est forma aut principium operandi actus vitales producat; Hic verò est ipsa operatio vitalis realiter producta, sicut v. g. intellectus noster est principium intellectionis realiter ab ipso producta & distincta, quam etiam vicissim in se recipit. Ratio assertionis iterum patet hoc modo enim actus primus dicit vim s. facultatem eliciendi & recipiendi actionem ab eadem facultate reipsâ distinctam,

Etiam, quæ omnia cum realem distinctionem, compositionem,
potentiam passivam & plures imperfectiones secum ferant,
nemo propterea vitam hoc modo explicatam sine impietate
Deo tribuere potest. III. *Deus vivit vitâ, spiritali h. e. intelle-*
ctiva & appetitivâ tam in actu primo quam in actu secundo sumtâ, sicut
actus primus & secundus vite posteriori modo accipiuntur, prout
ille iuxta nostrum concipiendi modum notat potentiam in-
telligendi, s. cognoscendi & appetendi; hic verò ipsam intel-
lectionem seu cognitionem & appetitionem, non attendendo,
an hæc realiter ab illis producantur, sed concipiantur saltem
per modum actionum, cum potentiâ tamen cognoscendi &
appetendi à parte rei idem sint. Ex qua assertionem sequentia
deduco (1.) quod per vitam Dei intellectualem s. cognosci-
tivam nihil aliud intelligam quam intellectum & scientiam, imò
ipsam essentiam Dei, quatenus is per eam objectum scibile co-
gnoscere posse concipitur (2.) Per vitam Dei intellectualem in
actu secundo intelligo eandem essentiam divinam quatenus à
nobis per modum actualis cognitionis concipitur. (3.) Per vitam
appetitivâ Dei in actu primo intelligitur voluntas Dei, quate-
nus per eam bonum appetere vel malum averfari posse con-
cipitur. (4.) Per vitam appetitivam in actu secundo intelligo
eandem essentiam divinam per modum actualis appetitionis
vel averfationis conceptam: ut ita hæc omnia nullam re
ipsâ in Deo involvant distinctionem, sed à nobis tantum ut di-
stincta concipiantur. Terminis explicatis restat, ut unicâ
tantum ratione assertionem hanc ultimam demonstrarem; hoc
autem per viam eminentiæ facile potest fieri & quidē hoc mo-
do: Quicquid est perfectio simpliciter talis in creaturis, illud
Deo in excellentissimo gradu competit. Atqui vita spiritua-
lis, prout jam explicata est, est perfectio simpliciter talis. Er.
Major conceditur. Minorem nemo negabit. Quis enim po-
tentiam intelligendi, scientiam & cognitionem rerum pluri-
marum, item voluntatem liberam & potissimam in homine &
Angelis perfectionem esse non largiatur. Stat Er. conclusio
nostra, quod Deo competat vita spiritalis de qua hæc in
in genere sufficiant, nunc seorsim pauca de scientia & volun-
tate

tate DEI in actu secundo potissimum spectatis subjicienda erunt, sequitur ergo

§. 28.

Conclusio XV. *DEUS est omniscius. De scientiâ DEI Dn. Praeses in Dissertatione sua de illa ante triennium ferè habitâ satis prolixè egit. Pauca igitur h. l. & quidem pleraque ex illa notanda erunt. Et quidem I. Deo intellectum ac scientiam reverà competere, modo conclusum fuit per viam eminentiæ potestque idem demonstrari per viam causalitatis. Cum enim videmus hanc mundi machinam & omnia in illa tam sapienter condita esse, tam sapienter adhuc regi, gubernari & conservari, aliud concludere non possumus, quàm causam illorum omnium maxime sapientem, imò omnisciam esse oportere. At verò causa illa est causa prima, Deus T. O. M. illi igitur ineffabilem sapientiam scientiam & intelligentiam, nec non prudentiam tribuendam esse, quivis videt. Imò cum ignorantia non leve malum & imperfectio esse deprehendatur in creaturis, illa omninò à Deo removenda, & exactissima omnium rerum scientia ipsi tribuenda erit. De eo sacrae literæ neminem dubitare sinunt. Nam *Johannes 1. Epist. 3. 20. Major, inquit, est Deus corde nostro & novit omnia Act. 15. 18. Nota sunt Deo omnia opera ejus ab eterno &c.* Testimonia ethnicorū qui ex lumine naturæ scientiâ Dei cognoverunt, adducere possem, nisi cuius ubivis obvia essent. Scitum est illud *Seneca Ep. 83. Sic certè, inquit ibi, vivendum est, tanquam in conspectu vivamus; sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit; & potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum, nihil Deo clausum est.* II. *Nomine scientiæ autem ut expræced. §. liquidum est non intelligimus h. l. vel qualitatem vel habitum aut actum propriè factum s. elicitem à potentiâ, neque etiam cognitionem per discursum comparatam aut aliam similem imperfectionem includentem sed apertam & claram intelligentiam (seu cognitionem) cujusq; veritatis (s. rei) ut iterum verba Suarezis ex Diss. 30. Metaph. sect. 15. n. 2. mea faciam.* III. In hac scientiâ Dei ad tria in primis habendus est respectus (I.) *Ad essentiâ divinam, quæ quatenus in ordine ad connotatum ob-*
jectum*

Etum scibile spectatur scientia dicitur (2.) *Ad respectum* quem
essentia Dei habet ad objectum, qui maximè realis est (3.) *Ad*
ipsum objectum scibile quod duplex: Aliud *primarium* nempe
ipse Deus & omnia quæ in Deo sunt formaliter, cuius respectu
scientia Dei rectè vocari potest *Comprehensiva* s. comprehen-
sio, quâ scil. ita se cognoscit ut nihil sui cognoscentem lateat.
Aliud *secundarium*, nempe omnes res cognoscibiles, extra
Deum. IV. Sicut autem objectum hoc secundarium res scil.
extra Deum (quas ipse reverà & immutabiliter quoad esse
proprium ac particulare in se ipsis cognoscit, uti scriptura
Jerem. 23. 23 &c. nec non rationes ab infinitate intellectus
divini & decreto producendi res illas desumptæ suadent & e-
vincunt) non sunt ejusdem rationis: Ita essentia Dei termi-
nata ad diversa illa objecta diversæ etiam scientiæ appella-
tionem accipit. Quatenus enim terminatur ad res prout sunt
necessariò possibiles, eatenus dicitur *scientia naturalis vel sim-
plicis intelligentiæ*, quia per eam Deus res illas possibiles neces-
sario cognoscit: Quatenus terminatur ad res, prout sunt præ-
sentes, vel ad præterita, vel ad absolutè futura tam contingen-
tia quam necessaria, vocatur *Libera*, hâc enim omnia ita Deus
cognoscit, ut eadem etiam potuerit non cognoscere, si scilicet
ea producere, aut cum iis concurrere, aut ea permittere non
decrevisset, sicut decrevit. Unde harum rerum neque causa
est, neque necessitatem aliquam imponit iis scientia hâc libera
s. visionis. Quatenus denique terminatur ad futura contin-
gentia conditionata, appellatur *Media* scientia, quia nec ad
naturalem nec ad liberam scientiam commodè referri potest.
Hâc omnia Deus per suam essentiam cognoscit quatenus ea
est & à nobis concipitur ut actualis illorum cognitio, & repræ-
sentatio. Veram hanc de scientiâ Dei sententiam breviter
hic propositam fusiùs & accuratiùs in dictâ dissertatione expli-
catam & cõtra adversarios defensam vide. Ex his verò cuilibet
constare potest de conclusionis nostræ veritate, Deum sci-
licet esse omniscium, non quidem hoc sensu, quasi in eum ca-
dat omnis scientia, hic enim sensus in observatione 2. rejectus
est, sed quod scientia ejus extēdat se ad omnia objecta scibilia,
ita ut nullo objecto terminari possit.



Conclus. XVI. *Deus est liberrima, immutabilis tamen, voluntatis.* Deum liberrimam voluntate præditum esse eadem rationes evincunt, quibus supra §. 28. 29. demonstratum est, competere ei vitam spirituales & scientiam, idem *Sacra S.* testatur *Pf. 115. 3. Deus omnia quæ voluit fecit Eph. 1. 2. Operatur omnia secundum consilium voluntatis sue. Apoc. 4, 11. Domine, tu condidisti omnia, & per voluntatem tuam sunt & creata sunt.* Ut autem conclusio eò clarior fiat, quædam adhuc addenda esse puto. Et quidem I. Voluntas Dei in actu secundo spectata (actum enim primum §. 27. circa finem seposuimus, & de secundo potissimum hinc agi diximus) dupliciter considerari potest. 1. quatenus versatur circa bonum & dicitur volitio s. appetitio. 2. quatenus versatur circa malum & dicitur averfatio. II. In voluntate hac pariter, sicut in scientia, ad tria potest haberi respectus (1.) *Ad essentiam* divinam, quæ quatenus terminatur ad objectum appetibile, dicitur volitio, quatenus terminatur ad malum dicitur Averfatio. (2.) *Ad respectum* quem habet essentia divina ad objectum suum. (3.) *Ad objectum* ipsum cuius formale ratione prioris actus est bonum, ratione posterioris actus est malum. Materiale est duplex: Aliud *Primarium* nempe ipse Deus. Aliud *secundarium* res scil. extra Deum. III. Notandum est quod voluntas in actu secundo spectata sit duplex (α) *Efficax*, quæ quis rem non tantum secundum se, sed etiam ut acquirendam & producendam appetit & amat, vel ut tollendam & destruendam averfatur. (β) *Inefficax* s. simplicis complacentiæ quæ quis rem secundum se tantum sine ullâ cogitatione efficiendi & producendi, vel etiam tollendi & destruendi illam appetit & amat, vel averfatur. IV. Voluntas efficax potest iterum duplex constitui. Alia *absoluta* qua quis simpliciter sine ullâ conditione aliquid vult. Alia *Conditionata*, qua quis aliquid non absolute sed certâ conditione tantum impletâ. Et hæc voluntas efficax s. absoluta s. conditionata quatenus respicit & terminatur ad objectum suum dici solet *Decretum*. V. Vocem *Libertatis* in conclus. propriè accipio, prout opponitur non coactioni sed necessitati absolute sic dictæ, notatque

facultatem agendi & non agendi, agendi hoc & agendi illud.
VI. Ad libertatem voluntatis non videtur requiri, ut ad omnia
objecta se extendat, sed sufficit si circa hoc vel illud objectum in
particulari locum inveniatur, e. g. Angeli & beati habent utique
libertatem tam quoad exercitiū, quam quoad specificationem
actus amandi, non tamen respectu Dei, illum enim necessario
amant. VII. Necessitas immutabilitatis cum non sit absoluta
necessitas, sed tantum ex suppositione & secundum quid, li-
bertatem non tollit. Hisce sic stantibus sequentes assertiones
pro declaratione conclusionis formo. I. *Voluntas divina circa
objectum suum primum versatur necessario, sed inefficaciter &
simplici tantum complacentia.* s. Deus seipsum necessario a-
mat & appetit voluntate simplicis complacentia. Dicitur,
(1.) *Necessario.* Si enim ab actu amoris quis cessat circa obje-
ctum, ideo illud fit, quia vel in objecto vel in ipso actu s. exer-
citiū circa objectum occurrit, aliqua ratio mali vel majus quid
se se offert, quo abstrahatur voluntas ab objecto amato. At
verò nihil horum in amore, quo Deus seipsum amat, locum
habet, neque enim objecto nempe Deo aliquid majus vel me-
lius est, neque in objecto aut in actu amandi aliqua ratio mali
occurrit. Er. DEUS seipsum non potest non amare. Nihi-
lominus tamen Deo sua constat Libertas (quod in observat.
6. præsupposui) quia inter alia bona in particulari potest ap-
petere hoc, appetere illud, potest hoc appetere, potest non ap-
petere. (2.) dicitur *Inefficaciter.* Neque enim voluntas divina
ita versatur circa Deum, ut eum velit producere; hoc enim im-
possibile est, sed simpliciter secundum se ipsum amat ac appe-
tit. II *Voluntas divina inefficax, quatenus à nobis concipitur ut a-
versatio, versatur circa malum culpæ necessario, ita ut non possit
non aversari illud.* Ratio est, quia in quò est nulla ratio bo-
ni, id voluntas, præsertim divina nequaquam amat. Atqui
in malo culpæ quæ tali nulla est ratio boni. Er. Voluntas di-
vina illud nequaquam appetit, sed necessario aversatur illud,
quod Scriptura S. nullibi non inculcat. Notanter autem di-
ctum (1.) *Inefficax.* Voluntate enim efficaci malum culpæ aver-
satur liberè, hoc est, ita aversatur illud, ut nunc velit illud tol-

lere, nunc non velit tollere aut impedire, sed permittere illud, præsertim conditione hæc vel illâ posita (2.) Notanter etiam dictum *malum culpæ*, mala enim pœnæ Deus non averfatur necessario, sed ea quatenus talia certa ratione appetit & creaturis immittit. III. *Voluntas divina inefficax s. simplicis complacentiæ circa objectum secundarium, res sc. extra Deum, quatenus hæc sunt possibiles, est necessaria, non libera.* Ratio, quia sicut res illas sub ratione possibilitatis cognoscit necessario: ita etiam necessario eas sub ratione possibilitatis voluntate simplicis complacentiæ appetit; sequeretur enim aliàs voluntatem Dei esse mutabilem. Si enim res illas ut possibiles modo vellet seu amaret modò non vellet, mutatio, quæ hic occurrit aut in voluntatem Dei aut in res possibiles cadet, non verò cadit in res possibiles, utpote quæ necessario sunt possibiles. Er. In voluntatem Dei. Hoc autem asserere supra adstructa immutabilitas Dei prohibet, ideoque dicendum, voluntatem Dei circa res possibiles quâ tales versari necessario. Notanter autem rursus dictum est, *Inefficax*, voluntate enim efficaci versatur circa eas liberè, sicut enim liberè illas producit: Ita etiam liberè illas vult producere, non necessario e. g. Novus aliquis mundus est res possibilis, Deum autem necessario velle producere istum, falsum est. IV. *Voluntas Dei efficax absoluta est immutabilis s. necessaria necessitate immutabilitatis, & eodem modo etiam necessario sunt ea, quæ hæc voluntate vult Deus; quod probant dicta supra ex Scriptura allegata & illud Rom. 9. 19. Voluntati eius quis resistet.* Neque per hanc assertionem libertas Dei evertitur, ut ex præmissâ nota 7. patet. Quæcunque enim Deus efficaciter & absolutè vult, illa nihilominus ita vult, ut possit etiam non velle, vel aliter etiam velle, adeòque habet voluntatem liberrimam: Sed posito, quod hoc modo ea voluerit, immutabiliter & necessario ita vult illa, quæ, ut quivis videt, est tantùm necessitas ex hypothesi, & propterea cum libertate optimè stare potest V. *Voluntas Dei efficax conditionata in se spectata itidem est immutabilis, licet objectum vel respectus ex parte objecti mutabilis sit, sive enim conditio impleatur s. non, Dei voluntas per hoc nõ mutatur, sed si qua occurrit mu-*

rit mutatio, illa in objectum cadet, uti exemplis pluribus, si opus esset, ostendi posset. Ex his quilibet videt, libertatem & immutabilitatem voluntatis divinæ optimè convenire & unā consistere posse, quod conclusio proposita volebat.

§. 30.

Conclus. XVII. *Deus est omnipotens.* Antequam ad ipsam explicationem hujus prædicati progrediar, obstaculum aliquod removendum erit. Dubitari enim potest *An hoc prædicatum ullo modo ex lumine naturæ cognosci possit?* Certum & de fide est, quod Deus possit facere, ut homo concipiatur ex fœmina sine virili operâ, quod idem numero corpus resuscitare possit, quod idem numero corpus in pluribus locis sistere queat, &c. Hæc omnia autem lumen naturæ plane ignorat. Er. etiam ignorare videtur, quod Deus sit omnipotens. Ut Responderi possit, præmoneo I. quod accuratè *distingvendum* sit inter ipsam omnipotentiam in se spectatam, & inter objectum ejus. 2. Distinguendum est inter confusam & distinctam alicujus rei cognitionem, quando rem non in genere sed distinctè & quoad partes singulas cognosco. His præmissis dicendum est, I. *Ipsa omnipotentia in se spectata utique ex lumine naturæ certo cognosci potest.* Res clara est. Quia enim, ut supra ostendimus, ex lumine naturæ cognoscimus essentiam Dei esse infinite perfectam, concludimus inde, eam etiam potentiâ infinitâ instructam esse, quod insuper ex effectibus ejus satis probabiliter colligi potest. II. *Objectum omnipotentia divine potest etiam ex lumine naturæ cognosci, sed cognitione confusâ,* quatenus in genere & sub communi ratione cognoscimus illud esse omne, quod absolutè est possibile, & fieri non repugnat, quodque in agente non importat imperfectionem. III. *Objectum omnipotentia divine distinctè ex lumine naturæ vix potest cognosci quoad singulas partes,* ut sc. ejus beneficio semper assequamur, hoc præcisè esse in specie illud, quod fieri non repugnet, quod contradictionem non implicet, quodque imperfectionem non importet. Et hoc unicum probat dubium allatum, exinde autem non potest colligi ipsam omnipotentiam in se spectatam non posse cognosci. Neque etiam qui hoc vel illud omnipotentia

rentiæ divinæ objectum esse negat, ipsam statim omnipotentiam divinam tollit: Sicut qui dicit Deum non posse facere Deum, omnipotentiam Dei non negat, sed negat saltem Deum esse objectum omnipotentiae divinæ. Rectè interim monent & Theologi & Philosophi; humano intellectui nõ statim integrum esse in particulari determinare, quænam verè involvant repugnantiam adeoque omnipotentiae divinæ objectum non sint, cum sacrae literæ potentiam Dei expressè ultra intellectum nostrum elevent *Eph. 3. 20.* Postquam igitur constat prædicatũ hoc ex lumine naturæ cognosci posse, notandum est porrò, & quidem (I.) quod *duplici* modo illud prædicatũ *omnipotens* explicari possit (α) ut omnipotens dicatur, qui omnem habet potentiam, & ita vox *omnis* ad potentiã referatur. Sed hoc modo DEO tribui non potest, in eo enim nulla potentia passiva locum habet, quia est actus purissimus, qui omnem potentiam receptivam excludit. (β) Qui omnia, quæ possibilis sunt, potest s. cujus potentia ad adæquatum objectum suum se extendit. Et hoc sensu prædicatũ hoc Deo revera competere (II.) observandum est & ostendi potest, *tum* ex Scriptura, *tum* ex ratione. *Illam* passim eum vocat expressè omnipotentem *Gen. 17. 1. c. 35. 11. Apoc. 1. 8.* *Hæc* nempe ratio clamat omnem perfectionem simpliciter talem Deo infinito & excellentissimo modo convenire. Talis autem perfectio est potentia præcisè spectata *Er. & per consequens Potentia Dei omnibus modis quibus esse potest, infinita est, non solum in sua perfectione entitativa, nec solum in modo agendi, sed etiam in objecto, quantum ex parte illius esse aut intelligi potest infinitas, ergo includit sub objecto suo omnia possibilis, etiam si in infinitum concipiantur, ut loquitur Suarez loc. sepe cit. sect. 17. n. 4. ubi plura* hac de re videri possunt. III. Breviter indicandum, quodnam sit objectum adæquatum omnipotentiae divinæ, est autem illud omne quod absolute & ullo modo possibile est, & quod fieri non repugnat, quodque in agente non importat defectum aut imperfectionem. Hinc omnipotentiae non obstat, quod Deus non potest facere Deum aut aliud infinitum, quod non potest facere ut præteritum non sit præteritum, quod non potest mentiri, peccare

peccare mori &c. Hæc enim partim fieri repugnant, partim in Deo important imperfectionem, quæ in ipso tanquam Ente infinitè perfectio admitti nec potest nec debet *Vid. plura in Discursu B. Stahl, ad Tab. III. Metaph. p. 45. seqq.* IV. Licet hoc attributum s. prædicatum sicut reliqua omnia ab essentia divina & à cæteris attributis non differat realiter, tamen & ab his & ab illâ ratione & per nostrum concipiendi modum differt, & propterea quoq; à voluntate divinâ quanquam efficaci ratione distinguitur, quicquid etiam dicat *Becanus part. 1. Theol. Schol. Tract. 1. cap. 17. q. 2.* Argumentor ita: Quæcunque attributa nos distinctè ratione diversorum connotatorum & objectorum concipimus, illa ratione differunt. Atqui voluntatem efficacem & omnipotentiam ratione diversorum connotatorum & objectorum concipimus. Er. Major ex terminis rectè intellectis robur accipit. Minor probatur. Quatenus nos concipimus divinam essentiam respectu objecti appetibilis producendi & efficiendi per potentiam Dei, catenus vocamus illam voluntatem efficacem; quatenus verò eandem concipimus in ordine ad objectum, quod est possibile fieri, nulla habitâ ratione appetibilitatis, dicitur potentia. Ex quibus patet, quod voluntas efficax & omnipotentia Dei cum diversis objectis s. connotatis à nobis concipiantur.

§. 31.

Hæc potiora sunt, quæ ex libro naturæ de Deo proponi solent, & quæ essentiam Dei aliquo modo declarant. Nam sicut in hac vitâ perfectè à nobis, ut in se est, concipi non potest: Ita nec sermone, qui conceptuum nostrorum index est, secundum totam perfectionem suam declarari potest, neque à nobis vel ab aliquâ creaturâ tali nominari nomine, quod naturam ejus secundum quod in se est, exprimat, & hoc ipsum volunt illa prædicata Dei, quando dicitur *Incomprehensibilis & Ineffabilis. De quibus Vid. Suarez. l. c. sect. 12. 13.* Potuissent quidem hoc loco plura addi, e. g. quod Deus sit *bonus, justus, misericors &c.* sed quia opus jam tum in manibus præter opinionem excrevit, ideo unum tantum vel alterum testimonium ex ethnicis scriptoribus adducam, ut exinde pateat, de prædictis etiam

G

prædi-

prædicatis per naturalem notitiam aliquid cognosci posse. Philosophus noster DEUM vocat *virtute optimum*, lib. de mundo cap. 6. *Quod tamen eò non est trahendum, quasi in Deo sint accidentia s. virtutes à Deo realiter distinctæ, sic enim summa Dei simplicitas lederetur, sed moraliter dicitur bonus quatenus nihil nisi quod rectum atque sanctum est velle & facere solet, ut bene ad hunc locum monuit Dn. Preses in Colleg. Metaph. publicè nuper habito Part. Spec. cap. 12. §. 8. Atque hoc ipsum, pergit ibid., monuit etiam Aristoteles cum lib. 2. Mag. Moral. c. 5. inquit, Non DEI ulla est virtus, præstantior siquidem est omni virtute Deus, & non secundum virtutem probus. De justitia & providentiâ Dei non minus scitum quam verum est illud Athenodori Stoici Philosophi: Ita homines cum hominibus vivere deberent, ac si Deus retributor bonorum, malorumque ultor omni loco & tempore actiones nostras contempleretur, conspicereturque humanis nostris oculis. Item illud Ascræi Poetæ:*

ΖΕΥΣ ΕΣ ΔΕ ΤΕΛΕΥΤΗΝ

Ἔργων ἀντ' ἀδίκων χαλεπήν ἐπέθηκεν ἀμοιβήν.

Qui etiam Deum omnis justitiæ & legum autorem agnoscit quando de eo ita scribit:

Ἀνθρώποισι δὲ ἔδωκε δίκην, ἢ πόλλον ἀρίστη
γίνεται

De misericordiâ Dei jam non occurrit aliquod testimonium, nisi quod Stagiritis noster in agone constitutus eam implorasse & dixisse fertur: *O Entium miserere mei*, quod in mediô relinquitur. Plura de his non addo, tum quia ex superioribus demonstrationes eorum peti poterunt, tum quia à Theologo hæc prædicata meliùs & accuratiùs explicari possunt.

§. 32.

Postquam igitur ea, quæ per naturalem notitiam de Deo sciri possunt, quantum fieri potuit, breviter exposui, tribus verbis etiam indicabo, quænam illa sint, quæ nos de eo per gratiam revelationis divinæ cognoscimus, ex lumine autem naturæ seclusâ omni revelatione divinâ cognosci & demonstrari planè nequeunt, sed omnem rationem & captum huma-

num

num longissime excedunt. Talia autem sunt seqq. I. *Quod DEUS sit unus in essentiâ, trinus in personis*, quarum altera, nempe Filius, à Patre per æternam generationem, tertia autem, nempe Spiritus S. ab utrâque per æternam spirationem procedat, quodque tres illæ personæ inter se realiter, ab essentiâ autem solâ ratione distinguantur. Hoc enim est tremendum Trinitatis mysterium. Hinc II. sequitur, quod etiam ex lumine naturæ cognosci nequeat, *secundam personam divinitatis esse Ἰεσοῦ Θεοῦ, Deum, & hominem in una indivisâ personâ.* III. Ignorat etiam ratio *decreta divina de Salvando genere humano*, & si quæ sunt alia, quæ animalis homo percipere non potest.

§. 33.

Cum hæc omnia ita se habeant, cuius constare puto, partim minus rectè sensisse, partim impiè delirasse & insanivisse eos, qui hæc evertere conati sunt, inter quos primum locum obtinent *Sociniani* cum antesignano *Ioh. F. Socino*, qui negant Deum naturaliter cognosci posse, *Scotus* & ejus discipuli, qui attributa Dei tum ab ipsâ essentiâ tum inter se realiter, s. ut ipsi loquuntur, formaliter ex natura rei distingui dixerunt. Rejiciendâ etiam est sententia *Scalig.* qui concreta v.g. æternû bonum, de Deo minus rectè prædicari dixit. Inprimis etiam damnandus est *Conradus Vorstius*, qui in lib. de Deo & attributis divinis non tantum Deo corpus aliquod tribuit, sed etiam pleraque attributa Dei hæctenus proposita & confirmata impiè ipsi vel denegat, vel temerè commaculat. Abeant etiam *Photiniani* & *Calviniani* quorum illi absolutè negant Deum scire futura contingentia: *Hi* verò futura contingentia à Deo cognosci non posse sine præcedente decreto, & scientiam DEI causam rerum futurarum esse statuunt, mediam autem s. conditionatam Dei scientiam planè negant. Nec audiendus est *Keckermannus*, qui mysterium Trinitatis per naturæ lumen, seclusâ revelatione divinâ sciri & demonstrari posse contendit. Alios, qui hîc notari possent, mitto, & nunc concludo, Deo Trinuni gratias agens immortales pro concessis viribus pauca hæc

hæc in chartam colligendi & componendi, eundemque devo-
tis sollicito precibus, ut porrò omnes actiones & studia mea ad
suam gloriam meamque salutem dirigere
velit.

Ne charta reliqua planè perdatur, pauca
hæc corollarii loco subijcimus.

I.

Hic syllogismus: Impossibile est omnem hominem esse in-
finitum

Filius Dei est homo E.

Impossibile est Filium Dei esse infinitum.

Et similes non sunt in legitimâ formâ.

II

Neque hic ad omnes boni Syllogismi regulas quadrat:

Nullus homo est æternus.

Filius DEI est homo. Er.

Filius DEI non est æternus.

III.

Quod nonnulli dicunt ex puris Impossibilibus nihil sequi,
id absolutè intellectum verum non est, ut ex sequente & aliis
exemplis patet:

Impossibile est quandam creaturam non esse finitam

Impossibile est quandam hominem non esse creaturam E.

Impossibile est quandam hominem non esse finitum.



Fb 3341

ULB Halle 3
001 846 40X



TA-OC

Fb 3341





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

D. N.
PHILOSOPHICUS

O,

mine naturæ
potest,

annuente

AM ACADEMIA

SIDIO

BECHMANNI

og. Prof. Publ.

ini expo-

ERICUS REIMER,

estphalus,

philosophorum

septembr.

60.

IS NISIL.

